DE

CHAUCORUM NOMINE
SEDIBUSQUE AC REBUS GESTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
HISTORICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXX. M. JANUARII A. MDCCCLII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HIERONYMUS VOELKEL
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
W. ANTON, DR. PHIL.
G. SOROF, DR. PHIL.
H. LIESEGANG, CAND. PHIL.
H. ANTON, CAND. PHIL.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PRAECEPTORI

PRAESTANTISSIMO DILECTISSIMO

LEOPOLDO RANKE

PIO GRATOQUE ANIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

SECTIO II.

DE CHAUCORUM[1]) SEDIBUS.

Duplicem inire rationem licet ad veterum Germanarum gentium fines constituendos; aut enim fieri potest, ut, docto quodam nostrae aetatis viro auctore[2]) ab aetate media profecti provinciarum pagorumque terminos ab ecclesia constitutos ad id temporis continuemus, de quo scriptores et Romani et Graeci nos certiores faciunt aut ut scripto-

---

[1]) Hanc scripturam perhibent Tacitus loc. plur., Plinius Cod. Leid. („ebuci" C. Riccardianus, „Baugi" C. Chiffletianus, „Buci" C. Toletanus, „Cauci" C. Rob. Conf. C. Plinii Sec. Nat. hist. lib. XXXVII rec. J. Sillig. Hamb. et Goth. 1851. Vol. I. p. 318 et Praef. p. 58 seqq.), Suetonius (in vita Tib. Claud. c. 24), „Cauchi" Tacitus (Cod. Med. hist. IV, 49), Vellej. Paterculus (II, 106), Ael. Spartianus (in Did. Jul. c. 1), „*Καυκοι*" Strabo (VII, 1. 3), „*Καυχοι*" Dio Cassius (54, 32. 60, 30), Ptolemaeus (II, 11), „Caüci" Lucanus (Pharsalia I, 463), Claudianus (de laude Stil. I, 225), Eutropius (I, 379), „Haci" Tabula Peutingeriana (ed. Christoph de Scheib. em. Mannert. Lips. 1824 Segm. I), „*Κουαδοι*" Zosimus (III, 6), „Quadi" Aethicus (Aethici Cosmographia ed. Lugd. Batav. 1646).

[2]) Leopold v. Ledebur: Das Land und Volk der Bructerer. Berlin 1827.

res veteres auctores et testes secuti sedes et domicilia constituamus.

Quod ad sententiam Ledeburii attinet, assentiri ei non dubito, archidiaconatuum, in quos divisa erat quaeque dioecesis, eosdem fines atque pagorum esse, quorum multos nomen a pristinis incolis traxisse constat; nec minus ei concedo, facile ex pagorum situ de populis judicari posse, qui antea ibi habitaverint: attamen facere non possum, quin, quum inter omnes constet, permultos populos aliis temporibus alias sedes tenuisse finesque eorum bello modo dilatatos modo deminutos esse, Ledeburii rationem eatenus tantum prosequar, quatenus non repugnem auctorum testimoniis. Itaque scriptores veteres in Chaucorum sedibus constituendis secutus nonnunquam tantum aetatis mediae geographiam ad confirmandas res adhibui.

Ac primum quidem ex Plinii loco, quem supra[1]) laudavi, Chaucorum gentem in Germania septentrionali et quidem prope oras maritimas habitasse, quae marinorum aestuum accessui et recessui expositae essent, luce clarius apparet. Huic dicto Strabo assentit, qui hunc populum, semel tantum commemoratum, ad numerum populorum Oceanum accolentium refert dicens: *πρὸς δὲ τῷ ὠκεανῷ Σούγαμβροί τε καὶ Χαῦβοι καὶ Βρούκτεροι καὶ Κίμβροι, Καῦκοί τε καὶ Καοῦλκοι καὶ Καμψιανοὶ καὶ ἄλλοι πλείους* [2]).

Quod item etiam historia docet; nam Tacitus (Ann. lib. II. c. 24) Germanici navem, naufragio in mari septen-

---

[1]) In prima sectione. Plin. hist. nat. lib. XVI, 1. 2).

[2]) Strabonis Geographica rec. Gustavus Kramer. Berol. 1847. lib. VII, p. 5.

trionali facto, Chaucorum terram appulisse memoriae tradit. Praeterea Tacitus (Ann. lib. I, 60 et IX, 19) eundem populum non modo ad mare Germanicum habitasse sed etiam Frisiis usum esse vicinis nos certiores facit, qua de re historiam tractaturi fusius infra[1]) loquemur.

Plura vero ex Germania (c. 35) cognovimus, ubi Tacitus sic scribit: „in Septentrionem ingenti flexu redit (sc. Germania) ac primo statim Chaucorum gens, quanquam incipiat a Frisiis ac partem littoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur."

Ex his verbis, si respexeris, quarum gentium jam mentio sit facta, Chaucorum fines, a Frisiis orsos, Chamavorum, Angrivariorum, Chasuariorum, Dulgibinorum, Chattorum[2]) terras tetigisse apparet, quibus vicinis nationibus etiam Cherusci in sequenti capite adjunguntur: „In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt."

Spartianus nihil nisi ad Albim fluvium Chaucos habitasse dicit his verbis[3]): „Post praeturam Julianus legioni praefuit in Germania vicesimae secundae primigenae, inde Belgium sancte ac diu rexit ubi Chaucis Germaniae transrhenanis populis, qui Albim fluvium accolebant, erumpentibus restitit" quod idem etiam Sidon. Apollinar. (VII, 390) commemorat: „Saxonis incursus cessat, Chaucumque (ita emendanda pro Chattum) alligat Albis aqua."

Ex Dione Cassio, Chaucos ad mare septentrionale

---

[1]) In tertia sectione.

[2]) Referenda enim ad hos populos verba Taciti sunt: omnium quas exposui gentium etc.

[3]) Ael. Spartian. in vita Juliani c. 1.

accoluisse atque esse usos Frisiis vicinis elucet, qua de re infra fusius disputabo. Nec parvi aestimanda sunt Solini verba: Mons Sevo ipse ingens, nec Riphaeis minor collibus initium Germaniae facit. Hunc Ingaevones tenent, a quibus primis post Scythas nomen Germanicum consurgit [1]). Nam ex his verbis, quum a Tacito et Plinio doceamur, Chaucos Ingaevonibus esse adnumerandos [2]), Chaucorum sedes fuisse in septentrionalibus Germaniae regionibus apparet.

Ptolemaeus denique nobiscum haec verba communicat [3]): „... *οἱ Φρίσσιοι, μέχρι τοῦ Ἀμισιοῦ ποταμοῦ, μετὰ δὲ τούτους Καῦχοι οἱ μικροὶ, μέχρι τοῦ Ὀυϊσούργιος ποταμοῦ, εἶτα οἱ μείζους, μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.*"

Haec verba nos docent, fines Chaucorum occidentales ad Amisiam, orientales vero ad Albim spectasse; quumque praeterea loca quaedam a Ptolemaeo nominata teneamus, quae ad Chaucorum fines pertinebant, haud dubie ex situ eorum geographico elucet, Chaucorum gentem habitasse inter 29° 20′—34° 15′ gradus longitudinis i. e. a Suatuanda ad Leuphanam vel ab Amisia usque ad Lüneburgium, et inter 54°—55° 20′ gradus latitudinis i. e. a Teu-

---

[1]) Solinus 22, 1. Conf. Isidor. orignes 10, 2 ..... dicti autem Suevi putantura monte Suevo, qui ab ortu initium Germaniae facit.

[2]) Nam Tacitus (Germ. c. 2) Ingaevones „proximos oceano" nominat et (Germ. 35) Chaucos „littoris partem" occupavisse tradit, unde sequitur, ut Chauci Ingaevonibus sint adnumerandi, id quod Plinius directis verbis dicit: (IV, 28) .... „Alterum genus Ingaevones, quorum pars Cimbri Teutoni ac Chaucorum gentes.

[3]) Claudii Ptolemaei Alexandrini de Geographia libri octo: in Theatri Geographiae .... opera Bertii Amstelodami 1618. II, 11.

derio usque ad Phabiranum vel a Meppeno usque ad Bremervörde, ut nunc loca nominantur[1]). Adversus haec, quae attuli, testimonia Rudbeckius (Atlantica c. XXIV) inepte, ut loci supra laudati demonstrant, non modo Suevos in Scandinavia, sed etiam Chaucos in Suevia, Dania, Jutia, ubi multa loca Chaucorum memoriam teneant nec vero in Germania habitasse contendit (Fol. DLXXXV), quam sententiam jam Spenerus[2]) falsissimam omnino repudiavit. Nec minus mihi Steffensus[3]) qui Chaucos has regiones, in quibus hodie ducatus Brunsvicensis est positus, incoluisse contendit et Conringius[4]) Chaucorum fines nimis late in meridiem spectantes faciens digni qui respuantur videntur.

Ut hoc tamen accuratius etiam demonstremus, quibus populis Chauci usi sint vicinis, nobis videndum est.

Antea vero quaestio absolvenda mihi esse videtur, num Chauci ad Rhenum accoluerint, deinde utrum unum tantum populum „Chauci" vox comprehenderit an plures nationes parvas.

Quod ad hujus quaestionis primam partem attinet, equidem contra Cluverum aliosque scriptores non nego, Chaucos ad Rhenum fluvium habitasse, id quod apparet

---

[1]) Ptol. Geog. II, 11 *Σιατουάνδα* — *κ̄θ. γ′: ν̄δ. γ′ Λεύφανα λ̄δ. δ′: ν̄δ. γό; Τουδέριον λ̄. — : ν̄δ. Φαβίρανον λ̄α. ζ: ν̄ε. γ′.* De horum locorum situ variam in partem disputarunt viri doctissimi, vid. Eccardi de origine Germanarum. §. LXIX. p. 417 seqq.

[2]) Spener: Notitia Germaniae antiquae lib. IV, c. 4 not. g. Francofurti et Lipsiae 1746.

[3]) Steffens: Gesch. von Braunschweig-Lüneburg. Zelle 1776.

[4]) Conringius. de ant. st. Helm. p. 70.

ex Tabula Peutingeriana, ex Claudiano (Stilich I, 225) „ut jam trans fluvium non indignante Cauco pascat Belga pecus." Denique ex Plinii verbis (lib. IV, c. XV): „In Rheno autem ipso prope C. M. p. in longitudinem nobilissima Batavorum insula et Caninefatium et aliae Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum quae sternuntur inter Helinium ac Flevum[1])" nec minus ex Lucano, ubi milites recensentur, qui ex Gallia Caesarem contra Pompejum sequebantur:

„Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
Desertis ripas et apertum gentibus orbem.

Attamen tantum abest, ut credam, Chaucorum fines occidentem versus usque ad Rhenum fuisse porrectos, id quod Gerlachius[2]) censet, ut existimem hos Rhenanos Chaucos nonnisi Chaucorum partem, ut ita dicam, quae illuc — nescio quo tempore[3]), — demigraverit.

Nam factas tales emigrationes esse, conjicere licet, quum ex Taciti verbis, quorum jam supra mentionem feci: —

---

[1]) Cluverus [Germ. ant. (p. 560 seqq.)] locus hic, ait, Plinii prorsus mihi suspectus est, vereorque veram ejus scripturam ab imperito librario (et quid mirum aut novum, foede depravatam ac corruptam esse. Ac primum de Chaucis; quis adeo comminuti exesique esse potest cerebri, qui recte eorum nomen hic legi credat etc. et p. 575 Licentia profecto hic usus est poetica Lucanus: nam neque Rhenum accolebant Chauci neque ad eum vel latrocinando vel bellando unquam pervenerant.

[2]) Pauly: in Real-Encyclopaedia I, p. 319.

[3]) Chaucos jam multo ante bella, a Cimbris Teutonisque adversus Romanos gesta, hanc terram occupasse, quod Kufahlius (die Geschichte der Deutschen von Dr. Ludwig Kufahl p. 28 Berlin 1831) contendit neque accipere neque refellere id audeo.

„tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci sed et implent" — et ex Vellejo: — „juventus Chaucorum numero infinita" — appareat, Chaucos fuisse magnum frequentemque populum. Atque id etiam probabilius fit, si Chaucorum situm terrarum, supra descriptum, respexeris, ex quo sumamus necesse est, eos aestibus marinis ad relinquendam patriam saepissime esse coactos, praesertim quum hodierno quoque tempore apud illarum regionum incolas id fieri soleat[1]).

Huc accedit, quod immenso peregrinandi studio omnibus temporibus tenebantur Germani, qua de re jam Tacitus nos certiores facit[2]); hos autem, qui ex patria emigraverant, vel in externis terris libenter nomen suum antiquum servasse, ex Caesare[3]) intelligi potest.

Quae quum ita sint, dubio procul apertum est, etiam ad Rhenum Chaucos habitasse nec mirandum non est, quomodo vel recentiores scriptores[4]) dubitaverint, num Chauci unquam ad Rhenum fluvium sederint.

---

[1]) Conf. Kohl: Die Marschen und Inseln der Herzogthümer Schleswig und Holstein. Dresden 1846, p. 51: Dies Abbrechen und Forttransportiren der Haeuser von einem bedrohten Orte nach einem sichern ist hier sehr gewöhnlich, wie denn überhaupt jene Fluth immer vielfache Auswanderungen und Versetzungen der Leute zur Folge haben etc.

[2]) Tac. hist. IV. c. 73: „Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor cet."

[3]) Caesar de b. g. (V, 12) marituma pars (Britanniae) ab iis, qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgis transierant, qui omnes fere iis nominibus civitatum adpellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt.

[4]) August v. Wersebe: Ueber die Völker und Völkerbünd-

Sed jam Chaucos ad Rhenum fluvium accolentes mittamus, propterea quod, quae de eorum sedibus dicenda sunt, ad fines Chaucorum, qui domi remanserunt, describendos, nihil adferunt.

Reliquum est ut videamus ad alteram partem quaestionis, quam supra posuimus, ad finem perducendam, nomine Chaucorum sint comprehensi utrum plures populi an tantum una gens.

Dum enim Tacitus nonnisi „Chauci" et „Chaucorum gens" vocabulis utitur, Plinius (h. n. lib. XVI, 1 et lib. IV, 28) verbum „gentes" Paterculus (lib. II, c. 106) „Chaucorum nationes" et „Chaucorum duces," Aelianus Spartianus (D. Juliano c. I) „Chaucorum populi" voces adhibent, unde satis aperte sequi videtur, ut Chaucis sint plures populi adnumerandi; qui tamen hi fuerint, propter veterum scriptorum incuriam dici nequit.

Equidem vero censeo, Chaucorum nomen triplicem significationem habuisse. Vigebat enim quaedam gens, cui prae ceteris hoc nomen tribuendum est, quam gentem „Stammoolk" germanice nominaverim. Praeterea parvulas nationes Chaucorum nomine esse usas, cum populo originario[1]) vinculo societatis quodam conjunctas, verisimile est. Has nationes, quae periculo quodam imminente auxilium praesidiumque petiturae se Chaucis applicarunt, vocaverim socios. Jam ex quibus fontibus hauserim, Chaucis fuisse socios, quaerat quispiam. De qua re, quamquam,

---

nisse des alten Deutschlands. Hannover 1826. p. 101: .... In diesem Raume können nun aber alle angegebenen Völker unmöglich gewohnt haben, insbesondere die Chauken nicht, deren Wohnsitze zwischen der Ems und Elbe unbezweifelt sind.

[1]) Liceat mihi brevitatis causa hoc verbo uti.

quod ad Chaucos ipsos attinet, nihil traditum invenies, nihilominus populos fuisse, qui in Chaucorum numero sociorum habendi sint, contendo. Alios quidem populos potentioris nationis cujusdam fuisse socios, testantur Caesar et Tacitus. Sic e. g. Ubii anno 54 a. Chr. n. a Suevis oppressi, Caesarem Romanum ad auxilium vocarunt[1]) patriaque Germania, quum denuo a Suevis premerentur relicta, fidelissimos se socios Romanorum, sedes praesidiumque petituri fecerunt[2]). Eodem modo Treviri, Nervii, Aduatici, clientibus, ut Caesar[3]) annotat, utebantur, Cherosque habuisse socios Tacitus[4]) commemorat atque Fosos Cheruscorum socios vel rebus adversis mansisse memoriae tradit.

Quid igitur nos impedit, quominus similem societatem etiam apud Chaucos exstitisse putemus[5])?

---

[1]) Caesar de bello Gallico lib. IV, c. 16: Ubii autem, qui uni ex transrhenanis ad Caesarem legatos miserant, amicitiam fecerant, obsides dederant, magnopere orabant, ut sibi auxilium ferret, quod graviter a Suevis premerentur etc. Conf. Dio Cassius Cap. XXXIX, 48.

[2]) Tac. Hist. IV, 28: . . actae utrobique praedae infestius in Ubiis, quod germanicae originis ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur. Cf. Suet. Octavian c. 21.

[3]) Caesar de b. g. IV, c. 6: Qua spe adducti . . . . . in finis Eburonum et Condrusorum, qui sunt Treviorum clientes, pervenerant. V, c. 39: . . . his circumventis, magna manu Eburones, Nervii, Aduatuci atque horum omnium socii et legiones, legionem oppugnare incipiunt.

[4]) Tac. ann. II, 45: Igitur non modo Cherusci sociique eorum cet. Germ. c. 36: . . Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens: adversarum rerum ex aequo socii sunt, quum in secundis minores fuissent.

[5]) v. Wersebe: Ueber die Völker etc. eandem sententiam protulit p. 4: „Ausserdem finden sich aber auch Spuren davon,

Denique non omittendi sunt illi populi, quos Chauci in sua potestate ac ditione tenebant, ac quos „tributarios socios" appellaverim. Historia enim non modo Germanorum sed omnium etiam populorum docet, potentiores nationes gratuito nunquam minores adjuvisse gentes. Quo factum est, ut parvulae nationes saepissime ceciderint sub imperium ditionemque eorum populorum, a quibus sibi praesidium ac tutelam fore sperabant. Cheruscis quidem tributarios socios fuisse, Strabo directis verbis commemorat[1]): *οἱ χηρούσκοι καὶ οἱ τούτων ὑπήκοοι,* quo tamen „*ὑπήκοοι*" vocabulo tributarios socios significari Boeckh[2]) demonstrat.

Quod igitur res ita se habet, conjicere licet, etiam Chaucos tributarios socios habuisse; id quod eo fit probabilius, quod non dubium est, quin Germani, in universum in se infesti, eo praecipue tempore, quo Romani Germanis bellum inferebant, in duas discesserint partes, quarum altera Romanos vel eos, qui Romanis favebant, altera Cheruscos sequebatur. Eam ob causam minoribus populis saepe datam esse occasionem deficiendi ab alio populo potentiore ad alium apparet nec minus apertum est, Chaucos favisse Romanis. Chaucorum vero gentem re vera tam potentem fuisse, ut nationes minores ei confidere potuerint, omnes fere scriptores[3]) ita indicant, ut minime animo pendeam.

---

dass die Friesen, Chauken und Cherusker kleinere benachbarte Völker zu Clienten hatten, mit denen sie demnach dergleichen Bündnisse unter ihrem Vorsitze bildeten. Conf. p. 101.

[1]) Strabo lib. VII. I, §. 3.

[2]) Boeckh: Ath. Staatsh. I, p. 433.

[3]) Tacitus (c. 35) opes constantiam viresque praedicat, Vel-

Quinam vero populi ad sociorum tributariorum numerum referendi sint, nullo modo potest constitui, quum mentionem hujus rei auctores nullam faciant. Itaque opinionem tantum Benedictus Wilhelmus[1]), a nullo rerum scriptore probatam, affert, dicens, Saxones, quos Ptolemaeus, et Angrivarios et *Χαύβους* et *Καούλκους*, quos Strabo commemorat populos pertinuisse ad Chaucos. Nam quod ad Saxones attinet, nemo eosdem nec Romanorum nec Graecorum, qui ante Ptolemaeum floruerunt, auctorum cognovit; Ptolemaeum vero ipsum minime sub nomine Chaucorum Saxones comprehendere potuisse apparet, quippe quum ipse, ut supra vidimus, Chaucorum gentes ad Albim usque, Saxones vero trans Albim fluvium habitasse dicat. Quos vero Strabo commemorat, *Χαῦβοι* — Chamavi scilicet — et *Καοῦλκοι* populi — nimirum *Καλούκωνες* apud Ptolemaeum dicti — haud scio an propter situm, quem infra videbimus, Cheruscorum potius quam Chaucorum habendi sint clientes. Angrivarios denique ad Chaucos pertinuisse libenter equidem Wilhelmo assentior, quippe quod apertissime historia doceat. Nam Tacitus (ann. II, c. 8) de defectione et perfidia Angrivariorum loquitur, quamquam rerum scriptorum nemo, Angrivarios in quandam cum Romanis societatem venisse, unquam memoriae tradit. Chaucos vero cum Romanis conjunctos ex Paterculi verbis: „receptae Chaucorum nationes" Tacitique vocibus: „Chauci in commilitium adsciti"— intelligimus: itaque et „receptae

---

lejus Chaucorum juventutis et vires et copiam laudat; quin etiam Plinius his scriptoribus assentire videtur dicens: „et hae gentes si vincantur hodie a populo Romano servire se dicunt."

[1]) Germanien und seine Bewohner von August Benedict Wilhelm p. 89 et 90. Weimar 1823.

nationes" et „in commilitium adsciti" vocabula referenda haud dubie ad Angrivarios, Chaucis adnumeratos, videntur. — Sed haec hactenus; quibus tamen addamus necesse est, quae de Chaucorum nominis significatione supra protulimus, aliqua ex parte videri fulta scriptorum alio argumento quodam ac testimonio, dico divisionem, quam Tacitus, Plinius, Ptolemaeus in Majores et Minores[1]) factam tradunt, ex qua mihi quidem apparere videtur, Chaucorum nomen non modo populum ipsum, sed etiam minores comprehendisse nationes, quae societatem quandam cum isto inierint.

Variae tamen a viris doctis in hanc rem prolatae sunt sententiae. Ac primum quidem Schildii opinio prorsus refutanda est, qui ineptissime „Majores" „Kautzen" „Minores" vero „Kautzel" significasse nomina contendit. „Quid si, inquit[2]), formula vocis *ὑποκοριστικῇ*, Caulcos non alios esse dicam, quam Caucos minores? Ut enim Majores Kautzen, sic Minores Kautzel vel ad similem sonum alludente vocabulo cogniti usurpatique fuere." Jam non opus est, ut hanc sententiam pluribus debilitem ac reprimam, quum supra viderimus, Chaucos nominatos nunquam esse „Kautzen", unde necessario sequitur ut etiam „Kautzel" nomen nunquam adhibitum sit.

Nec minus ineptam sententiam Kobbejus[3]) affert, qui sub voce „Minores" Chaucos littorales, sub voce „Ma-

---

[1]) Hanc divisionem praeterea apud Frisios tantum vicinos, ut Tacitus solus commemorat, nec minus apud Bructeros invenimus.

[2]) Schildius: de Caucis libri duo. Lugd. Batav. 1649. p. 20.

[3]) Peter v. Kobbe: Geschichte und Landesbeschreibung der Herzogthümer Bremen und Verden. Gött. 1824. II. 1. p. 15.

jores" vero Saxones intelligit, quos regiones a littoralibus Chaucis australes sitas tenuisse atque ab Amisia ad Albim usque se extendisse putat.

Plurimi denique viri docti, qui hanc rem tetigerunt nostro tempore, sub voce „Minores" eos Chaucos, qui minores agros possidebant, sub voce „Majores" eos, qui agros tenebant majores, esse intelligendos contendunt. Sed et haec sententia mihi nequaquam placet, cui quidem Zeussius[1]) assentitur, Gerlachius[2]) autem repugnat.

Equidem minores Chaucos originarium censeo populum, Chaucos vero majores parvulos istos populos, qui vinculo societatis quodam cum populo originario erant conjuncti, esse intelligendos puto. Hanc si divisionem ad Borussos, ut exemplo hujus temporis utar, adhibuerim, eos vocaverim „Borussos minores" qui hodie apud nos „Altpreufsen" nominantur, Rhenolandios vero, Westfalios, Silesios ceterosque populos, qui demum postea imperio Borussico obtigerunt, appellaverim „Borussos majores".

Ad hanc sententiam comprobandam videamus oportet, num vis hujusmodi sub vocibus „major et minor" ad terrarum populorumque nomina adhibitis apud Romanos sit subjicienda; nam „majores et minores" vocabula a Romanis ducta esse adhibitaque ab iisdem ad rationes earum gentium, quibuscum iis consuetudo intercedebat, credibile est.

Quodsi vero accuratius verborum istorum significationem exquirere volumus, terras Romanas perspiciamus necesse est, quas simili modo divisas intelligimus. Ne vero

---

[1]) C. Zeufs: Die Deutschen etc. p. 139. 140. „Geschichte und Localität zeigen die westliche Abtheilung als die gröfsere."

[2]) Aug. Pauly: Real-Encyclopaedie. II, p. 320.

longius a proposito aberremus, paucis tantum de Graecia et Asia loquemur.

Ac primum quidem inter omnes constat, antiquam Graeciam — patriam dico Graecorum — „Graeciam propriam"[1]) Italiam vero meridionalem, quo Graeci emigraverant, „Graeciam magnam" esse nominatam. Quum vero „magna Graecia", quamquam, ut Livius[2]), Justinus[3]), Seneca[4]) apertissime demonstrant, haud parvam Italiae partem amplexa, minor tamen quam „Graecia propria" fuerit, Sicilia insula adeo ipsa illi adjuncta[5]), opinionem meam temerariam non puto, secundum quam „Magna Graecia" nomen nihil nisi terram significaverit, ubi cives, ex Graecia propria profecti, habitabant. Hanc equidem sententiam, quae haud dubie etiam Festi[6]) verbis comprobatur, omni modo vel et contra Josephum Scaligerum[7]) et Pli-

---

[1]) Cellarius: Notitia orbis ant. Lipsiae 1773. tom. I. p. 887: „Hi prae ceteris Ἕλληνες genuini, seu proprie Graeci adpellati et terra quam colebant, Hellas sive Graecia propria.

[2]) Livius lib. XXXI, c. VII. Nec Tarentini modo, oraque illa Italiae, quam Majorem Graeciam vocant, ut linguam ut nomen secutos crederes: sed Lucanus et Bruttius et Samnis a nobis defecerunt.

[3]) Justinus lib. XX, c. II. Metapontini quoque in templo . . . . omnis illa pars Italiae major Graecia appellata est.

[4]) Seneca ad Helviam c. VI. Totum Italiae latus, quod infero mari adluitur, Major Graecia fuit.

[5]) Strabo lib. VI. *τὴν μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον, καὶ τὴν Σικελίαν.*

[6]) Festus, s. v. M. G.: „Major Graecia dicta est Italia, quod in ea multae magnaeque civitates fuerunt, ex Graecia profectae" (verbis „multae magnaeque" non nimia est vis tribuenda).

[7]) Joseph Scaliger ad Festum p. 81: „Certissimum est, ita vocatam (sc. magnam Graeciam) a Romanis, quia propior ea

nium[1]) et Synesium[2]) defendo, praesertim quum et Asiae definitionem respexerim, quae eodem modo vocabulum „major" contrarium docet voci „propria" nec minus verbis „minor" ac „propria" idem significari[3]).

Nam quae nunc vocatur „Asia minor" (usitata demum inde a seculo quarto significatio[4]) Romanorum temporibus „Ἀσία ἡ ἰδίως καλουμένη"[5]), „Asia Propria" vel „proprie dicta"[6]) vel etiam simpliciter „Asia"[7]) appellabatur; Asia vero orientalis „Asia major" nominabatur[8]).

Huc accedit, quod Ptolemaeus in finibus Germaniae populorum describendis, vocabulis „minor et major" vel „μικροὶ et μείζους" hanc vim esse subjiciendam, liquido

---

esset illis, quam transmarina Graeciae." Nullius momenti hanc computationem esse nemo non intelligit.

[1]) Plinius III, c. 5: „Ipsi de ea judicavere Graeci, genus in gloriam suam effusissimum: quotam partem ex ea adpellando Graeciam Magnam?

[2]) Synesius: de dono astrolabii p. 307 sec. editionem Petavii: Ἰταλία μὲν γὰρ πάλαι τοὺς αὐτοὺς ἔχουσα Πυθαγόρου τε ἀκουστὰς καὶ τῶν πόλεων ἁρμοστὰς Ἑλλὰς ἡ μεγάλη προσηγορεύετο.

[3]) Conf. Albert Forbiger: Handbuch der alten Geographie, Leipzig 1844. tom. II. p. 38: „Im engeren Sinne bezeichnet Asia bei den Alten blos Kleinasien (Asia minor) ...... sonst auch Asia propria genannt."

[4]) Orosius I, 2. Constant. Porphyr. de prov. them. I, 1.

[5]) Strabo VII, p. 577. Ptolem. V, 2.

[6]) Plinius V, 27. 28.

[7]) Cicero pro Flacco c. 27; pro leg. Man. c. VI. Nep. Att. VI. Liv. 26, 24. Conf. De Asia Romanorum provincia, diss. Bergmanni. Berolini 1846.

[8]) Justinus 15, 4. 1. Fieri autem potuit, ut voce *minor* quae jam dudum cognita erant, voce *major* quae vix cognita erant, significarentur.

testatur, haec verba faciens (II, 11): „*Κατέχουσι δὲ τῆς Γερμανίας τὰ μεν παρὰ τὸν Ῥῆνον ποταμοῦ ἀρχομένης ὑπ' ἄρατον, οἵ τε Βουσάκτεροι οἱ μικροὶ καὶ οἱ Σύγγαμβροι .... Ἐλάττονα δὲ ἔθνη καὶ μεταξὺ κεῖνται, Καύχων μεν τῶν μικρῶν καὶ τῶν Σουήβων Βουσάκτεροι οἱ μείζους.*" Is enim hoc loco minores Bructeros, populi scilicet stirpem, ad majorum populorum numerum refert, Bructeros vero majores, scilicet exiguas quasdam nationes, quae sub ditione minorum Bructerorum erant, minoribus populis annumerat.

Denique etiam Jornandes alicujus momenti est, qui „Gothos minores" immensum populum nominat[1]).

Haec, quae attuli, argumenta efficiunt, ut meam sententiam, supra prolatam, sustineam, secundum quam minores Chauci nominandi sunt „populus originarius, i. e. Chauci proprii" majores autem nationes minores, quae Chaucis adnumerabantur; quae tamen sententia minime te impedit, quominus ad „Majores" Chaucorum gentes ipsas referas, quae patria relicta, novisque in propinquo sedibus quaesitis vinculo quodam cum patria manebant conjunctae; — quamquam Jacobus Grimmius contrariam sententiam protulit, dicens[2]): „Die kleinen Friesen, Chauken und Brukterer wird man also für solche halten dürfen, die nach der ersten niederlassung des volks sich über einen flufs hinaus verbreiteten und zwar noch im bund mit den grofsen für sich selbst einen eignen verein nach besondrer verfassung bildeten."

---

[1]) Jornandes c. 51: .... „Erant siquidem et alii Gothi, qui dicuntur Minores, populus immensus" cet.

[2]) Grimm: Geschichte der deutschen Sprache, t. II. p. 678.

Jam vero quaerendum videtur, ubi minores Chauci et majores habitaverint, qua de re magna inter scriptores dissensio invenitur. Ptolemaeus enim, ut ex loco supra allato intelligi potest, majores Chaucos inter Visurgim et Albim fluvios habitantes facit; Tacitus vero (ann. lib. XI. c. 18 et 19) majores Chaucos Frisiorum vicinos fuisse contendere videtur, unde eos inter Amisiam et Visurgim fluvios habitasse apparet, quae loca secundum Ptolemaeum incolebant minores Chauci.

Itaque, ut tantum nonnullos scriptores commemorem, Cluverus [1]), Spenerus [2]), Altingius [3]) auctoritatem Taciti secuti inter Amisiam et Visurgim Chaucos majores ponunt; Cellarius vero [4]) et Leibnitzius [5]) et Junckerus [6]) Ptolemaeo auctore utuntur.

Equidem Tacitum certissimum auctorem secutus, inter Amisiam Visurgimque habitasse Chaucos majores, inter Visurgim vero Albimque minores adversus Ptolemaeum censeo.

Quare vero in hanc sententiam discesserim, quamvis Wiardaius [7]) et vel Wilhelmus [8]) controversiam de hac re levem esse dicant, profiteri tamen paucis hic conabor.

Narrat igitur Tacitus, loco supra laudato, Chaucos duce Gannasco in Germaniam inferiorem irruisse indeque

---

[1]) Cluverus: Germania antiqua l. c.

[2]) Spener: Notit. Germ. ant. lib. IV. c. 4.

[3]) Alting: Not. Germ. inf. t. I. p. 42.

[4]) Cellarius: Not. orb. ant. lib. II. c. 5.

[5]) Leibnitz: Script. rer. brunsv. t. I. p. 11.

[6]) Juncker: Anleitung cet. p. 8.

[7]) Wiarda: Ostfriesische Geschichte. Aurich 1791.

[8]) Wilhelm: Germanien cet. p. 155.

fugatum esse Gannascum a Corbulone, qui, omnibus Frisiorum rebus ordinatis, legatos ad Chaucos majores subigendos Gannascumque dolo capiendum miserit.

Quodsi igitur hinc apud Frisios fuisse Corbulonem liquet neque certe negandum est, legatos ad Chaucos vicinos ideoque ad eos esse missos, qui inter Amisiam et Visurgim habitabant: haud dubie ex Taciti istis verbis apparet, Chaucos majores habitasse inter Amisiam et Visurgim; Tacito vero eo magis habendam fidem censeo, quum tantum absit ut idem geographicas afferat notitias ut solas res historicas nobiscum communicet.

Jam superfluum esset hanc rem pluribus investigare, nisi duo viri docti, dico Reichardum et Wersebejum, ad Ptolemaei auctoritatem probandam argumenta omnis generis attulissent et Taciti verba ita, ut Ptolemaei verbis congruerent, fuissent interpretati, quam ob causam de argumentis ab his viris allatis nonnulla verba faciamus necesse est.

Reichardi [1]) argumenta nequaquam efficere possunt, ut pedibus eam in ejus sententiam. Nam quod primum verisimilius esse contendit, remotiores Chaucos orientales ho-

[1]) Christian Gottlieb Reichard: Germanien unter den Römern, Nürnberg 1824. p. 39: „Aus diesen Worten mag man wohl folgern wollen, Corbulo habe nur an die ihm Zunächstliegenden schicken können, als sei es den Spionen gar nicht möglich gewesen, durch die kleineren hindurchzukommen. Allein fürs erste ist es natürlicher, anzunehmen, dafs nur die entfernteren östlichen Chauken diese Räubereien gewagt hatten; fürs zweite, dafs es die gröfseren waren, die sich dem Gannascus anvertrauten, weil er sich zu ihnen oder mit ihnen wieder nach Hause geflüchtet hatte, und von den Römern bei ihnen, den gröfseren, gesucht wurde; fürs dritte, dafs sich Gannascus

stilia esse contra Romanos ausos, statim tibi opinio non idonea videbitur, si Frisios, etsi viciniores quam Chauci Romanis, seditionem tamen movere eodem tempore esse ausos cogitaris. Secundum quod deinde argumentum affert, logicis tantopere repugnat, ut refutari superfluum arbitrer[1]). Quod ad tertium attinet argumentum, satis, ut puto, expeditiones per Frisios a Druso et Germanico ad Chaucos factae demonstrant et haud facilem ad Chaucorum fines aditum et munitam loci natura terram ipsam ita fuisse, ut fere contemni hostiles exercitus possent aggressi, unde, quum natura haec loci ad utramque Chaucorum terram pertinuerit, haud dubie Gannascum eodem modo inter Amisiam et Visurgim ac Visurgim inter Albimque tutum fuisse apparet. Idem denique Reichardus Chaucos orientales proxime pertinuisse ad Cheruscos ideoque vastam terram tenuisse contendit, unde sequatur, ut ii „majores"

---

gewifs nicht in die allernächste Stande (!) zwischen der Ems und Weser versteckt haben werde, wo ihm die nahen Römischen Truppen ohnehin sogleich auf der Ferse sein konnten. Also läfst sich hieraus eher das Gegentheil schliefsen. Hierzu kömmt aber noch des Tacitus eigene Grenzbestimmung, die die Chauken bis an die Cherusken führt. Diefs konnten dann die kleineren wegen ihrer eingeschränkteren Lage ohnmöglich sein, indem zwischen der Ems und Weser südlich von ihnen zwei Völker, die Ansibarien und Angrivarien, vorlagen, dagegen die östlichen Chauken, bis zur Leine herauf, kein Volk zwischen sich und den Cherusken hatten. Demnach hatten die kleineren das Land zwischen der Ems und Weser innen" cet.

[1]) Nulli enim dubium esse potest, quin Gannascus apud Chaucos majores sit versatus; sed quaeritur, ubi hi Chauci habitaverint, utrum inter Amisiam et Visurgim an inter Visurgim Albimque fluvios.

fuerint. At vero Reichardus non modo falsam sententiam de voce „majores", quam supra [1]) explicasse mihi videor, denudat sed etiam, Chaucos ad Cheruscos proxime se extendisse contendens, omnia testimonia scriptorum offendit, quae, ut infra videbimus, apertissime Angrivarios Fososque inter Chaucos et Cheruscos habitasse demonstrant.

Quae quum ita sint, argumenta a Reichardo allata nullius momenti aestimanda mihi videntur et facere non possum quin mirer quod Gerlachius ipse [2]), Reichardum, quomodo cum Tacito Ptolemaeus sit congruendus, satis demonstrasse contendit, nec minus quod Franziscus Ritterus, Ptolemaei auctoritatem secutus majores Chaucos, ad quos subigendos Corbulo legatos misit, inter Visurgim et Albim fluvium esse ponendos defendit [3]).

Nec minus Augustus de Wersebejus [4]) Ptolemaei sen-

---

[1]) Sect. I.

[2]) Cornelii Taciti Germania, inst. Fr. Dor. Gerlach. Basileae 1835. p. 200: „Dafs Tacitus Annal. XI, 19 dieser Bestimmung widerspreche, wie Mannert und Wilhelm annehmen, ist irrig und schon von Reichard hinlänglich widerlegt worden."

[3]) Cornelii Taciti opera ed. Franciscus Ritter. Cantabrigiae, Londini, Lipsiae, Coloniae 1848. Not. ad ann. lib. XI, c. 19: minores Chauci proximi a Frisiis inter Amisiam et Visurgim, majores a Visurgi ad Albim. Minoribus igitur Chaucis dux Romanus ordinatis Frisiorum rebus ipse cum exercitu proximus fuit, a majoribus longius remotus: hinc missis qui majores Chaucos ad deditionem pellicerent.

[4]) August v. Wersebe: Ueber die Völker und Völkerbündnisse des alten Deutschlands. Hannover 1826. p. 106: „Diese Chauken konnten mit ihren Schiffen nicht über Land hergekommen sein; meiner Meinung nach waren sie durch die Nordsee um Holland herumgeschifft und so durch die Maafs in die Waal eingelaufen . . . . . . es läfst sich bei diesen Umständen dann

tentiam probaturus errat. Dicit enim, navibus pervenisse Gannascum cum Chaucis in fines Gallorum, quod tamen ab iis tantum Chaucis, qui inter Albim Visurgimque habitassent, fieri potuisset; itaque diffitendum non esse putat, „majores" inter Visurgim et Albim esse ponendos.

Quodsi vero non negem, Chaucos per mare Germanicum Hollandiam circumvectos in Vaehalem fluvium venisse, Mosa flumine relicto, tamen sumendum non censeo, propterea Chaucos eos tantum esse habendos, qui inter Visurgim et Albim habitaverint. Quid? Chaucosne inter Amisiam Visurgimque habitantes in mare Germanicum pervenire non potuisse? Nonne enim uti Amisia poterant et Visurgi?

Itaque et Wersebeji falsa opinione refutata, nil obstat, quominus, Taciti auctoritatem secuti, defendamus, Chaucos majores ab Amisia usque ad Visurgim habitasse, minores vero inter Visurgim Albimque fluvios, et Ptolemaeum, errore quodam adductum [1]) attulisse sententiam contrariam.

His omnibus plane expositis, denique eo progressa nostra disputatio est, ut exquirendum restet, quosnam inter populos Chauci sederint.

---

auch füglich denken, dafs es die Einwohner des Districts zwischen der Weser und Elbe waren, die diesen Zug eigentlich unternommen hatten und dafs demnach Tacitus diese unter dem grofsen Chauken verstehe.

[1]) Ptolemaeus, qui forsitan Taciti locum, quo „Chauci majores" legitur, ignoraverit neque quidquam de sedibus Chaucorum majorum aut minorum compertum habuerit, Chaucos Romanis proximos magis notos fuisse ratus quam remotiores, hos majores illos minores appellasse videtur. His enim vocabulis „minor, propria et magna, major" idem significari, supra demonstravisse mihi videor.

Ac primum quidem Strabo, loco supra laudato, Chaucos vicinis usos esse Cimbris dicit, quippe quos inter *Κίμβρους* et *Καούλκους* nominet. Quum vero constet, Strabonem de Germania septentrionali pauca tantum scivisse [nam verbi causa Luppiam, Visurgim Amisiamque flumina in idem mare influere dicit [1])] falsamque istam sententiam: — omnia trans Albim sita incognita esse [2]) — attulisse: equidem in hac re eum nequaquam multum valere, qui Cimbros inter Rhenum Albimque collocaverit[3]) nec dubium esse censeo, quin gentes istas geographico ordine neglecto enumeraverit.

Itaque refellendi ii videntur, qui Strabonis auctoritatem secuti, Cimbros ab Albi fluvio occidentales sedisse, Chersonesumque, quam Strabo Cimbros incolentes faciat, non intelligendam Cimbricam Ptolemaei Chersonesum esse sed Strabonis Chersonesum Cimbricam contendunt, quae sita in Hollandia septentrionali fuerit[4]). Neque minus Clementis [5]) sententia refutanda est, qui nimis rerum memoriam offendens omnia de Cimbrorum sedibus ab auctoribus relata ad terram inter Rhenum Albimque sitam pertinere contendit, certissima enim argumenta efficiunt ex mea qui-

---

[1]) Strabo lib. VII. c. I. §. 3: *ἐπὶ ταυτὰ δὲ τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται Βίσουργίς τε καὶ Λουπίας ποταμός.*

[2]) Strabo lib. VII. c. II. §. 4: *τὰ δὲ πέραν τοῦ Ἄλβιος τὰ πρὸς τῷ ὠκεανῷ παντάπασιν ἄγνοστα ἡμῖν ἐστιν.*

[3]) Strabo lib. VII. c. II. §. 4: *Τῶν δὲ Γερμανῶν, ὡς εἶπον, οἱ μὲν προσάρκτιοι παρήκουσι τῷ ὠκεανῷ. γνωρίζονται δ' ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου λαβόντες τὴν ἀρχὴν μέχρι τοῦ Ἄλβιος. τούτων δ' εἰσὶ γνωριμώτατοι Σούγαμβροί τε καὶ Κίμβροι.*

[4]) Ubi hodie Kemmerland. Conf. Neitker de situ Chersonesi Cimbricae. Ups. 1797.

[5]) Clement: Die nordgermanische Welt. Kopenhag. 1840. p. 295.

dem sententia, ut longe ab ejus opinione recedamus Barthio [1]) assentientes, Cimbros nusquam nisi in peninsula Jutica esse collocandos.

Nec desunt argumenta, quibus haec sententia egregie probetur. Quid tamen de Cimbrorum origine statuendum sit, non meum est investigare [2]). Satis sit commemorasse, hunc populum ex mea sententia neque ad Gallos [3]) neque ad Celtos [4]), sed ad Germanos [5]) esse referendum.

His, quae ad originem Cimbrorum spectant, leviter tactis, ad perlustranda testimonia, ex quibus de hujus populi sedibus aliquid certum concludi possit, aggrediamur.

---

[1]) Barth: Deutschlands Urgeschichte. I, 156.

[2]) De Cimbrorum origine, uti omnibus notum, longe lateque disputarunt viri docti, in diversissimas discedentes sententias, quarum ingeniosissimae mihi videntur a Dunckero prolatae in illo libro, qui inscribitur: Origines Germanicae. Berolini 1840.

[3]) Cimbri Gallorum stirpi adscripti sunt ab his auctoribus: Cicero, de provincia consul. c. 13, de orat. II. c. 66; Sallust. Jugurtha c. 114; Liv. epit. 72; Florus III. c. 3; Sextus Rufus brev. c. 6. Conf. Joh. Müller: de bello Cimbrico.

[4]) Celtis adnumeravit Cimbros Appian (Illyr. IV. bell. civ. I, 29), cujus auctoritatem secuti Niebuhrius (Niebuhr kl. Schriften p. 383) et Müllerus (Marken p. 114 et 115) Cimbros re vera Celtas fuisse opinantur, quae tamen sententia refellitur gravissima ceterorum scriptorum auctoritate nec minus ducibus cimbricis, quos in pugna occisos Orosius (V, 16) commemorat quorumque nomina ex germanica origine ducenda Zeussius nuper in libro supra laudato docuit.

[5]) Germanorum stirpi Cimbros esse adscribendos gravissimi auctores nos docent: Plinius, Tacitus, Pomponius Mela, Strabo, Caesar, Vellejus Paterculus II. c. 12. 50. 52, Valerius Maximus II. cap. 2, Seneca consol. ad Helv. c. 6, Quinctilian declam. III. pro milit. Mar., Plutarch. Mar., Justinus 38. c. 5, Eutrop. V. c. 1, Orosius V. c. 16.

At vero Plinium videamus, quem in septentrionalibus Germaniae partibus versatum constat cujusque verba (II, 67) haec leguntur: „Septentrionalis vero oceanus majore ex parte navigatus est auspiciis divi Augusti, Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium et inde immenso mari prospecto aut fama cognito Scythicam ad plagam et umore nimio rigentia."

Quodsi igitur negari non potest, expeditionem hic anno p. Chr. n. V factam memorari, quam spectans Vellejus[1]) nos certiores facit, classem Romanam inde a Rheno flumine oceanum pervectam in Albim venisse, haud dubie promontorium, de quo loco Plinii modo laudato sermo est, nihil aliud intelligendum cognosces, nisi Juticam, quam nunc peninsulam dicunt.

Hoc idem etiam alter Plinii locus probare videtur (IV, 27) ubi vel Ingaevonibus Cimbri adnumerantur: „Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingaevonum quae est inde prima Germaniae. Mons Sevo ibi immensus nec Ripaeis jugis minor immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur refertus insulis, quarum clarissima est Scandinavia inconpertae magnitudinis, ... mox alterum sinum Lagnum conterminum Cimbris. Promontorium Cimbrorum excurrens in maria longe peninsulam efficit quae Cartris appellatur."

Quamquam enim viri docti non consentiunt de „Scandinavia" et „Sevo mons" vocabulis, quae alii ad Norve-

---

[1]) Vellejus Paterc. II. c. 106 ... et eodem, mira felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia, classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia exercitui Caesarique se junxit.

giam Sueciamque et ad montem, qui hodie dicitur „Kjölen" alii ad Jutiam praedicant referenda, in hoc tamen omnes consentire debent, „promontorium Cimbrorum" nusquam nisi in Jutia nostra esse ponendum propterea, quod „excurrens in maria longe" verba aptissime cum „Skagen" promontorio, in ista peninsula sito, conveniunt.

Itaque ex Plinii locis intelligimus, Cimbros peninsulam Juticam incoluisse ideoque septentrionales vicinos Chaucorum fuisse, quippe quos regiones ad Albim usque tenuisse supra viderimus. Quamvis enim non nesciam, Plinium et Istaevonibus[1]) Cimbros adnumerantem, inter Albim Rhenumque eos facere habitantes, tamen iis assensus, qui pro „Cimbri" scriptura falsa Sicambros, „mediterranei" voce ad Hermiones relata, legunt[2]) hanc sententiam meam teneo.

In has sedes, quae assignandae mihi videntur Cimbris

---

[1]) Plinius IV, 28 Proxumo autem Rheno Istaevones quorum Cimbri; mediterranei Hermiones quorum Suevi.

[2]) Spener: German. antiq. IV, I. Cluverus German. ant. III. p. 200. Kufahl: Geschichte der Deutschen p. 168. J. Grimm: Geschichte der deutschen Sprache p. 520: „proximi autem Rheno Iscaevones, quorum pars Sicambri; die gewöhnliche lesart: quorum pars Cimbri entsprang durch vereinfachung des doppelt zu lesenden S, worauf das folgende I getilgt und cambri in Cimbri geändert wurde. denn auch bei Caesar 6, 35 werden Sicambri bezeichnet: qui sunt proximi Rheno." Adelungius (Aelteste Geschichte p. 241 et 381) vulgatam scripturam defendens sumendum esse censet, Cimbrorum nomen collectivum multos amplexum esse populos, quos „unsuevische" nominat. Sed huic sententiae non magis assentire quam opinioni Mannerti possum, qui in libro suo: Germanien nach dem Begriff der Griechen und Römer. Nürnb. 1792. p. 324 nunquam Cimbros fuisse contendit.

a Plinio commemoratis, optime quadrant, quae in Monumento Ancyrano [1]) leguntur.

In hoc enim monumento Augustus gloriatur, classem Romanam auspiciis suis in terras venisse, quas nemo Romanorum ante id tempus viderit, sub fine his verbis usus: „Cimbrique et Char[u]des et Semnones et ejusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt."

Quum vero constet, classem Romanam regnante Augusto ad Albim usque venisse atque historia doceat, omnes populos septentrionales cis Albim fluvium habitantes esse subactos, non dubium esse potest, quin legatio illa missa sit a populis trans Albim proxime sedentibus, qui exciti erant terrore Romani exercitus [2]). Accedit, quod in illa regione, quam Holsatiam nunc vocant, Charudum nominis, qui vicini Cimbrorum nominantur, vestigia superesse videntur [3]).

Quae quum ita sint, Cimbros in Monumento Ancyrano commemoratos in Jutia nostra sedisse nemo non intelligit.

Quod idem etiam Pomponius Mela comprobare videtur. Is enim haec verba facit: Super Albim Codanus, ingens sinus, magnis parvisque insulis refertus est. . . . In eo [4])

---

[1]) Monumentum Ancyranum ed. J. Franzius et A. W. Zumptius. Berolini 1845.

[2]) Conf. Strabo lib. VII. c. II. §. 1, ubi Strabo narrat, Cimbros ad Augustum dona misisse lebetem, qui apud eos sacerrimus habetur amicitiamque et injuriarum illatarum veniam petiisse.

[3]) Grimm, Geschichte der deutschen Sprache II. p. 633: Klar aber fallen, und darauf kommt es an, die nordalbingischen Harudes zusammen mit den Hoitsaten . . . . . auch liegt Holstein im osten der halbinsel.

[4]) Scil. supercilio, de quo vocabulo cfr. Tschucke ad Melam III, 3. p. 99.

sunt Cimbri et Teutoni; ultra ultimi Germaniae Hermiones [1]).

Hos Cimbros peninsulam Juticam tenuisse, Mela verbis „super Albim" perlucide annotat. His omnibus perpensis etiam Taciti Cimbros Jutiae incolas nominare non dubito, quamquam haud scio an propter ignorationem Germaniae septentrionalis ejus verba obscura et incerta sint. Haec enim (Germ. 37) habet Tacitus: „Eundem Germaniae sinum [2]) proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens, veterisque famae lata vestigia manent; utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem."

Quam obscura haec verba sint, omnes ad unum intelligere debemus. Neque enim „parva nunc civitas" verba neque haec verba „eundem Germaniae sinum tenent" [3]) ad Cimbrorum sedes constituendas aliquid afferunt. Quum vero ex omnibus scriptoribus, quos jam perlustravimus, pateat, Cimbros in nostra Jutia esse ponendos, nihil obstare videtur, quominus etiam Taciti Cimbros in iisdem

---

[1]) Pomponii Melae de situ orbis libri tres ed. Aug. Weichert. Lips. 1816. lib. III. c. 3. De his Hermionibus variam in partem disputarunt viri doctissimi. Conf. Cluver. Germ. ant. p. 79, qui pro vocabulo „Hermiones" Hilleviones legit, et Zeussium (die Deutschen p. 147 seqq.).

[2]) Sinus est in ora maris terra curvata ac velut sinum praebens aquis incurrentibus. Facciolati Lex. Lat.

[3]) Cherusci Fosique, quibuscum Tacitus Cimbros eundem sinum tenuisse narrat, re vera nullum sinum incolebant. Barth: Deutschlands Urgeschichte II, 225. Monendum tamen est, „sinum" verbum „Länderstrecke" vel „entlegene Gegend" significasse, id quod Gerlachius (Taciti Germania Not. ad Cap. I.) multis exemplis allatis demonstravit.

regionibus sedisse teneamus; quae opinio egregie confirmatur etiam auctoritate Claudii Ptolemaei qui haec verba habet (II, 11): *Ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου Σάξονες· αὐτὴν δὲ τὴν χερσόνησον ὑπὲρ μὲν τοὺς Σάξονες, Σιγούλωνες ... πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι Κίμβροι* [1]).

Et his paestantissimorum scriptorum testimoniis etiam ceteri non repugnant auctores, qui tantum, occasione data, in universum de Cimbris narraverunt. Alii enim „ad Oceanum" eos habitasse, alii e regionibus septentrionalibus emigrasse tradunt; in his Quinctilianus (Decl. III pro milite Marii) „ex ultimo littore Oceani et diremta frigoribus plaga" Florus (III, 3) „quum terras eorum inundasset Oceanus" Polyaenus (VIII, 10) „*ἀπὸ χειμερίων τόπων*" Ammianus Marcellinus (XXXI, 5) „ex abditis Oceani partibus", Claudianus (de bello Get. v. 640) „ex Oceani stagnis supremis".

Hunc oceanum vero intelligendum esse Oceanum septentrionalem apertissime nos Claudianus docet, qui (de bell. Get. v. 335) Oceanum septentrionalem „Cimbrica Thetis" appellat. Nunc hoc tantum adjiciam, Cimbros easdem regiones et secundum Ephorum Clitarchumque, ut ex Strabone elucet, tenuisse. Nam quod scriptores isti, Cimbros eluvione quadam coactos patriam reliquisse narrant, aptissime cum his Juticis regionibus convenire, historia docet [2]).

---

[1]) Contenderim, omnes hos minores populos a magna Cimbrorum gente paullatim se sejunxisse.

[2]) Hoff, Natürl. Veränder. I, 57. 107; Arends, Gesch. der Nordseeküste seit der cymbrischen Fluth. Emden 1833. I, 200 sq. II, 39 sq. Kufahlius (die Geschichte der Deutschen p. 29) contendit, omnia de Oceani irruptionibus a scriptoribus relata tantum in regiones ad Oceanum septentrionalem sitas quadrare.

Haec ad comprobandam sententiam sufficiant, Cimbros prope Chaucos in peninsula Jutica nunc vocata habitasse neque negari potest „Cimber-Syssel", partem Jutiae olim nominatam nomen suum, ut Reichardus[1]) contendit, Cimbrorum populo debuisse[2]).

Cimbris erant propinqui Teutoni itaque transeamus ad Teutonos[3]).

Difficillima vero de hac gente propter diversissimas recentiorum opiniones disquisitio est. Nam quum Tacitus hujus populi in Germania nullam mentionem faciat, multi viri docti nullam unquam nationem vocatam esse „Teutonos" putarunt sed Teutonorum nomen omnes Germaniae gentes amplexum atque a „Teut" voce, quam Germanorum deum significasse constat[4]), ortum esse sumpserunt.

---

[1]) Reichard, Germanien p. 54.

[2]) Num in Silesia Cimbri habitaverint, ut apud Henelium (Silesiographia I, 71) contenditur, vel in illa regione, cui hodie nomen est „Schwaben", id quod Sattlerus (Geschichte von Würtenberg I, 27) propter multorum nominum similitudinem defendit, non refert ducatumque Bremensem et Verdensem Cimbrorum patriam fuisse adversus Deckenium (Philosoph.-histor. cet. p. 56) plane negaverim.

[3]) *Teutoni*, Caesar b. g. I, 33 et 40; II, 4; VII, 77. Cicero p. l. M. c. 20. Livius in Epit. 67. Vellejus II, 8 et 12. Sueton. in Caesare c. 11. Seneca de ira I, 11. Plinius lib. IV, 28 sect. Mela III, 3 et 6. Lucan. I, 265; VI, 259. Valer. Maximus VI, 1. Martial XIV, 26. 1. Eutrop. I, 406. *Teutones*, Orosius. *Theutones*, Fasti Rom. *Τεύτονες*, Plutarch in Mario, Ptolem.

[4]) Conf. Spener III, 6. Henelius, Silesiogr. I, 70. Cluverus, Germ. ant. I, 81. Luden I, 28. Wilhelm, Germ. p. 24. Reichard (Germanien. p. 4) contendit, Clerum francogallicum nobis Germanis nomen „Deutsche" a „Theod" deo vel a „Tuisco" voce, quam Tacitus profert, deductum indidisse.

Sic e. g. Wersebejus[1]) his verbis utitur: „Von einem Volke der Teutonen oder Teutonarier hingegen weifs sonst Niemand etwas. Wahrscheinlich hat ein solches nie existirt cet." His verbis assentitur Ludenius[2]): „Jedesfalls ist nicht anzunehmen, dafs die Teutonen ein besonderes Volk gewesen."

Rühsus[3]) tamen commentatione illa de origine nominis Germanorum scripta ingeniosissime demonstravit, Germanorum gentes ante Ottonem Magnum „Teutonici, Teutones, Deutsche" nomine communi non esse comprehensos, quare non opus est, illorum virorum sententiam pluribus persequi[4]).

Itaque Teutonorum gentem exstitisse persuasum ha-

---

[1]) Wersebe, Völker und Völkerbündnisse p. 348.

[2]) Luden: Geschichte I. p. 32.

[3]) Friedrich Rühs: Ausführliche Erläuterung der zehn ersten Capitel der Schrift des Tacitus. Berlin 1821. p. 100—112. Quamquam revera omnia a Rühsio prolata comprobo, tamen hoc unum non probandum mihi videtur, nomen „Deutsche" ducendum esse a „Thiod" voce, quae germanice „Volk" significat, nam „io" vocalis lingua „neuhochdeutsche" nominata in „ie" diphthongum commutatur, ut verba „dëor (thier), Theodoricus (Dietrich), thiotmalli" (dietmold) apertissime demonstrant. Quum igitur „Theod" vocabulum in „Dietsche" nec vero „Deutsche" vocem se convertat (cf. Grimm, Gramm. p. 103 et 104), Zeussio equidem assentior, qui (die Deutschen cet. p. 63) „Deutsche" nomen a verbo „diutan" (deuten, verständlich machen) derivans „diutiscam linguam" Francorum, Allemannorum Bavariorumque linguam esse accipiendam contendit.

[4]) Etiam Mannerti (III. p. 12) opinio mihi non placet putantis „Teutoni" nomen omnium Germanorum commune Romanos fuisse non celatum a nostris majoribus nisi superstitione ductis.

bentibus (nam et Plinius idem (XXXV, 8), et Vellejus (II, 103) nobiscum communicant) videndum est, ubi haec gens habitaverit. Ac primum quidem perscrutandum videtur, utrum simul cum Cimbris Teutoni sedes reliquerint, an postea demum cum iisdem sint conjuncti. Nam si statuere poteris, Teutonos jam ab initio migrationis cum Cimbris fuisse conjunctos, illos etiam his vicinas sedes tenuisse haud dubie colliges.

Livius (l. 63) verbis: „Cimbri, gens vaga, populabundi, in Illyricum venerunt; ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est" et lib. 67 exeunte epitome postquam a Cimbris complures Romanorum duces victos et interfectos esse narravit, „Cimbri" inquit, „vastatis omnibus, quae inter Rhodanum et Pyrenaeum sunt per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt: reversique in Galliam bellicosis se Teutonis conjunxerunt" tum lib. 68 ubi utrumque populum rursus inter se secernit et Teutonos cum Ambronibus apud Aq. Sextias esse victos a Mario, Cimbros, postquam Catulum ab Alpium finibus repulissent, a junctis Catuli et Marii exercitibus tradit, demonstrare mihi videtur, Cimbros primum, tum Teutonos e sedibus migrasse vel Teutonos in Gallia habitasse.

At jam in pugna cum Carbone commissa Teutonos fuisse, Appianus tradit, qui tantum in eo a Livio recedit, quod in Norico hanc pugnam fuisse dicit (b. g. XIII) *„ὅτι τῶν Τευτόνων μοῖρα ληστεύουσα πολύανδρος ἐς τὴν γῆν τῶν Νορικῶν ἐσέβαλε"* et, postquam Carbonem esse ab iis victum narravit, addit verba: *„Τεύτονες ἐς Γαλατίαν ἐχώρησαν."*

Praeterea Vellejus (II, 8) Cimbros una cum Teutonis

Rhenum transiisse, Caesar (b. g. I, 33) Cimbros Teutonosque Galliam occupasse et inde in Italiam contendisse et (b. g. II, 4) a Belgis intra fines ingredi esse prohibitos et denique (b. g. II, 29) Aduatucos ex Cimbris Teutonisque prognatos esse tradunt.

Alii rerum scriptores, si de eadem re loquuntur, modo Cimbros vel Teutonos solos, modo utrumque populum commemorant et praeterea alii Cimbrorum et Teutonorum, ubi alii unius tantum populi mentionem faciunt.

Sic Tacitus (Germ. 37) Cimbros solos a Papirio esse victos dicit et ubi in universum loquitur (hist. IV, 79) Cimbros Teutonosque commemorat, sic Plinius semper (h. n. II, 58; VII, 22, XVII, 1, XXXIII, 53, XXXVI, 61) verbis „Cimbrica bella, cimbrica victoria" utitur, attamen (h. n. XXVI, 9) „ubinam" inquit, „istae (sc. magicae vanitates) fuerunt, cum Cimbri Teutonique terribili Marte ulularent" sic Appianus solis de Cimbris (Ill. IV. bell. civ. I, 29) et de utroque populo in eadem re narranda (b. g. I, 2) agit, sic prae omnibus Eutropius, qui (V, 1) Teutobodum Cimbrorum ducem nominat et paulo post Teutonos et Cimbros in Italiam irruisse tradit.

Plinius denique (h. n. XXXIII, 53) verba affert: „C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis potasse traditur et Valerius Maximus" (III, 6). „C. Marius post Cimbricum et Teutonicum triumphum cantharo semper potavit" quem triumphum unum fuisse Livius (lib. 68) docet[1]).

---

[1]) Justinus (Justini historiarum Philippicarum libri XXXXIV ed. Wetzel. Lipsiae 1817) Cimbrorum tantum mentionem facit (lib. XXXII. c. 3, lib. XXXVIII. c. 3), Valerius (Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem, ed. a Colero. Hanoviae 1614) commemorat (lib. V. c. I—VI.) Teutonos solos,

His ex omnibus prolatis satis apparet utrumque populum una ex locis suis migrasse, una pugnasse [1]), interdum tamen ad consilia melius persequenda se divisisse, scriptores rerum autem modo hunc modo illum appellasse non ignorantes, omnes satis intellecturos esse, de utroque populo agi.

In has sedes Teutonis ex rebus gestis assignandas optime quadrant, quae alii scriptores geographiam tractantes de eorum finibus tradiderunt.

Nam in Melae loco, quem jam supra de Cimbris locutus attuli, Teutoni Juticae peninsulae incolae, Cimbrorum vicini conspiciuntur; nec minus Melae verba, quae (III, 6) de Teutonis solis facit, dicens: „In illo sinu, quem Codanum diximus, ex insulis Scandinonia, quam adhuc Teutoni tenent, ut fecunditate alias ita magnitudine antestat" referenda haud dubie ad Jutiam esse puto [2]).

sed (lib. II. c. VI.) solos Cimbros. Apud Frontinum (Strategemat. p. 165) legitur: „bellum Cimbricum et Teutonicum," (p. 192) „Marius adversus Cimbros et Theutonos," (p. 229) „victis proelio Teutonis," (p. 184) „Theutono provocanti" (Veteres de re militari Scriptores. Vesaliae 1670).

[1]) Idem contendit Reiskejus, dicens (Cluver. geog. III, 8): „Cimbri et Teutoni ab extrema Germania effusi sociisque aucti nationibus, primum Galliam tum Italiam irruperunt. Conf. Cluv. Germ. ant. II, 13.

[2]) Quae sententia voci „sinus" sit subjicienda, supra annotavi; etiam non mirari possumus, quod Mela hoc loco Teutonos insulam quandam incoluisse narrat. Nam credibile est, eum Germaniae septentrionalium regionum imperitum fuisse, id quod tibi probabilius fit scienti, Adamum Bremensem, scriptorem Mela multis seculis recentiorem, Borussicarum regionum fuisse ita imperitum, ut Curlandiam et Esthoniam insulas existimaret. Quas regiones alii viri hoc nomine „Scandinonia" comprehen-

Plinius Teutonos non tantum Cimbrorum vicinos sed, quod magni momenti est, medios inter Cimbros et Chaucos nominat his verbis (lib. IV, sect. 28): „Alterum genus Ingaevones quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes."

Verba vero, quae a Pythea facta Plinius commemorat, dubitationem nobis haud levem injiciunt; nam si haec sola sequeris, in longe aliis regionibus ac supra iis assignavimus, Teutoni ponendi esse videntur. Ita autem Pytheas scripsit: Guttonibus, Germaniae genti [1]) accoli aestuarium Oceani, Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium; ab hoc diei navigatione insulam abesse Abalum: illuc vero fluctibus advehi (electrum) et esse concreti maris purgamentum: incolas pro ligno ad ignem uti eo proximisque Teutonis [2]) vendere.

His verbis adducti, quum Mentonomon voce „frisches Haff" aquam significari, Tanaimque, ad quem usque Strabo [3]) Pytheam esse profectum narrat, intelligendam Vistulam esse putent, omnes fere Teutonos ad mare Balticum orasque Borussiae eo magis habitantes fecerunt, quod non modo succinum in istis regionibus ejicitur sed etiam multa etiam-

derint, Weichertus (Pomponii Melae cet. ad hunc locum) dicit. Grotius (in Prolegom. ad historiam Gothorum p. 21 et 71) existimat, Codanoviam olim dictam fuisse Codan — au, i. e. Gothorum terram.

[1]) Nullius momenti sunt verba Rudbeckii (Atlantica illustrata p. 45) „pari jure ego dico, Germani sunt gens Gothica."

[2]) Zeussius (die Deutschen cet. p. 105) Plinium pro „*Γουτονοῖς*" verbo apud Pytheam invento „Teutonoi" vocem falsam legisse contendit, quod equidem probare non audeo.

[3]) *καὶ διότι ἐπανελθὼν ἐνθένδε πᾶσαν ἐπέλθοι τὴν παρωκεανῖτιν τῆς Εὐρώπης ἀπὸ Γαδείρων ἕως Τανάϊδος.*

nunc loca inveniuntur, quae nomina a Pythea tenent relata[1]).

Sed haec sententia non impedit, quominus Teutonos, quippe qui magnus populus essent, a littoribus Baltici maris ad Albim usque habitasse Dunckero et Hollwegio auctoribus[2]) sumamus, quin etiam fieri potuit, ut Teutoni, qui Pythea vivente Balticam oram maritimam incolebant, posterioribus temporibus e patria occidentem versus usque ad Albim fluvium emigraverint[3]), id quod vel probabilius fit consideranti, maximum temporis spatium praeteriisse inter Pytheam et Plinium[4]).

At vero nusquam demonstratum invenies, Teutonos a Pythea nominatos re vera ad mare Balticum sedisse, quam facile enim fieri potuit, ut Plinius non recte Pytheam in-

---

[1]) Hanc sententiam prae ceteris Schlözerus tenet, haec verba (Forts. der allg. W. G. XIII. p. 124) faciens: Mentonomon, der Name der Küste, konnte Medenau sein cet.

[2]) Duncker (Origines Germanicae. Berolini 1840 p. 103)..... „Cimbros et Teutonos antiquissimis temporibus oram Baltici maris ab Viado certe usque ad Albim tenuisse necesse est. — v. Bethmann-Hollweg: Ueber die Germanen vor der Völkerwanderung p. 19. Bonn 1850.

[3]) Idem jam contendit J. Grimmius (Geschichte der deutschen Sprache. II, 639).

[4]) Pytheas aequalis Alexandri Magni fuisse videtur; nam Polybius eum recentioribus geographis adnumerat et Dicaearchus eum hominem nullius fidei nominat. Praeterea constat, ejus itineri antecessisse itinera ab Hannone et Himilcone suscepta. Conf. Pytheae Massiliensis quae supersunt fragmenta ed. Alfredus Schmekel (Schulnachrichten der Provinz Sachsen 1848) et Fuhr, de Pythea Massiliensi dissertatio. Darmstadiae 1835. p. 11.

tellexerit aut libros ejus omnino non viderit[1]). Praeterea etiam, etsi vera Pytheae apud Plinium verba sint, fieri tamen potest, ut errent, qui ista verba ad oram Borussicam referunt. Nam quod ad succinum attinet, reperiri idem et in Germanici maris insulis[2]) et in omnibus oris Europae praecipue vero in Jutica peninsula[3]) scimus; nec minus Schweigerus[4]) prioribus temporibus in locis esse ejectum, ubi nunc ne vestigium quidem supersit, nos docet.

Conjecturas vero propter nominis similitudinem factas de gentis cujusdam finibus constituendis persaepe in errorem induxisse, notum est; quare neque „Teutenwinkel" paroecia juxta Rostockium sita[5]) neque „Medenau" qui Sambiae pagus est[6]) me adducere possunt, ut Teutonorum sedes nonnisi ad mare Balticum ponam. Quo jure denique, qui Teutonorum gentes ad mare Balticum habitasse contendunt, Tanaim Strabonis per Vistulam intelligunt, eodem jure nobismet Tanaim per fluvium Albim, Mentonomon autem per oram Jutiae nostrae occidentalem intelligamus licet[7]).

---

[1]) περὶ τοῦ ὠκεανοῦ καὶ γῆς περίωδος. Conf. Lelewel (Pythéas de Marseille et la géographie de son temps. Paris 1836. p. 25).

[2]) v. Decken, Philosphisch-historisch-geographische Untersuchungen über die Insel Helgoland. Hannover 1820. p. 36.

[3]) v. Decken, p. 221 et 240, et Lelewel (die Entdeckungen der Carthager und Griechen auf dem atlantischen Ocean. Berlin 1831. p. 12. 43.

[4]) A. F. Schweiger: Beobachtungen auf naturhistorischen Reisen. 1819.

[5]) Reichard, Germanien p. 74.

[6]) Schlözer l. c.

[7]) Solebant enim Graeci illum fluvium Tanaim appellare, quem in extremis orbis terrarum finibus situm esse opinaban-

Itaque ad Albim secundum Plinium Pytheamque ponendi Teutoni sunt, ubi etiam Ptolemaei Teutonos Teutonariosque habitasse apparet ex his verbis: *Σαξόνων δὲ καὶ τῶν Σουήβων, Τευτονοάροι καὶ Οὐΐρουνοι ..... Φαραδεινῶν δὲ καὶ Σουήβων, Τεύτονες καὶ Αὔαρποι* [1]).

Quamquam enim Ptolemaeus inter Cimbros Chaucosque praeter ceteros populos parvos Saxones nominat — ut supra vidimus — tamen quum neque Plinius neque Strabo neque Tacitus hunc populum, ab Eutropio demum (in brev. lib. IX. c. 13) in historiam inductum, cognoverint, nullo modo impedimur, quominus Teutonos, aut omnino non exstitisse aut Cymbrorum partem Saxones fuisse, arbitrati, proxime ad Albim Cimbris Chaucisque vicinos sedisse sumamus[2]).

Quum igitur ex omnibus scriptoribus, quos laudavi,

---

tur. Sic certum est, ut exemplum quoddam afferam, Alexandrum Magnum ejusque milites, quum in Asia ad Jaxartem venissent, eum Tanaim habuisse (Arrian. IV, 15). Quam ob causam Lelewelus (Entd. p. 45) haud sine injuria: „Es fragt sich," inquit, „ob die entdeckte Mündung des Tanais der Pregel, Weichsel, Oder oder Elbe sei." Ingeniosissimus Müllerus (Marken p. 130) Guttones a Pythea commemoratos Cimbros habet et Conringius (p. 57) Guttones ad Albim consedisse putat. — Hanc conjecturam clarissimus Lelewelus primus, quantum scio, fecit, haec verba faciens: „Les bords du golfe Mentonomon furent habités par les Teutons et les Guttons; le succin était déposé sur les rivages de l'île Abalcia, cet.

[1]) Hoc loco allato docemur, si cum eo conjungis, quae Ptolemaeus de populorum Germanorum sedibus antea retulit, Teutonos ad Albim fluvium Cheruscis ab occidente finitimos consedisse. Conf. Zeuss (die Deutschen p. 150).

[2]) Eandem sententiam etiam Wilhelmus (p. 177) afferre conatur.

Teutonos Chaucorum vicinos fuisse constet, id quod etiam Grimmius affirmat, qui non modo Ditmarsos Teutonorum progeniem esse sed etiam Teutonos Cimbrorum vicinos in Jutia habitasse contendit[1]) falsissimam certe Kufahlii sententiam censeo, Cimbros Teutonosque oram Germaniae septentrionalem totam incoluisse; nec minus errare Wilhelmus videtur, qui vel pugnantia loquitur. Nam Teutonorum nomen omnibus Germanorum gentibus commune fuisse dicens (p. 24) unum tantum populum eodem nomine esse comprehensum annotat (p. 178); praeterea Pytheae verba a Plinio allata secutus, nonnisi maris Baltici oram Teutonorum patriam nominat, quamquam sequenti jam pagina contendit, eosdem Teutonos nonnisi inter Viadum Albimque habitasse.

Sed haec hactenus; nunc ad Langobardos[2]) transeamus, quos Chaucos secundum Teutonos attigisse puto[3]).

Tacitus quidem certum quoddam de hoc populo, quem omnino saepissime sedes mutasse constat, in libello de Germania conscripto non narrat. „Contrà Langobardos", inquit (c. XL), „paucitas nobilitat, plurimis ac valentissimis

---

[1]) Grimm, Geschichte p. 639. Eandem sententiam jam Cellarius protulit. Tom. II. suppl. p. 5.

[2]) Langobardi, Tacit. (ann. II, 45; XI, 17; Germ. c. 40), Vellejus Paterculus II, 106; *Λαγκοσαργοι* Strabo lib. VII. I, §. 3; *Λαγγόβαρδοι, Λογγοβαρδοι* Ptolem. II, 11; *Λαγγόβαρδαι, Λαγγοβαρδοι, Λογγίβαρδοι, Λογγόβαρδοι* Proc. in bel. Goth.

[3]) Lazius (in commentario de migratione gentium lib. XII. p. 640) et Rudbeckius (in Atlant. c. 34 §. 3 N. 33), qui nescio an auctore Paulo Warnafriedo (hist. Lang. I, 1) Langobardorum patriam Scandinaviam habuerint, „Lackahundari" et „Langobariahundari" pagos in Suecia sitos a Langobardis nomina duxisse putant. Sed hoc ad commentationem meam non refert.

nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones ...... muniuntur;" tamen vero, quum eas tantum sedes Langobardorum, quas ii primo saeculo p. C. n. tenebant, oporteat constituamus, spem equidem certissimam habeo fore ut hunc populum in ripa Albis occidentali sedentem Chaucis confinem fuisse ex auctoribus demonstrem.

Ac primum quidem illis valentissimis nationibus, quibus Langobardos cinctos Tacitus loco supra laudato narrat, Chaucos adnumeratos esse historia docet; namque et ex annalium libro (II, 44—46) ubi pugna inter Germanicum et Maraboduum commissa traditur et libro (XI. 17) in quo Tacitus nos Italicum, Cheruscorum regem, ad Langobardos fugisse horumque auxilio esse restitutum certiores facit, Langobardos Cheruscis vicinos fuisse intelligi potest.

Quum igitur certum sit, Langobardorum fines ad Cheruscos usque ad orientem versus fuisse porrectos, puto, per nationem valentissimam, ad quam usque auctore Tacito ejusdem populi fines ad septentrionem versus pertinuerint, esse intelligendam Chaucorum gentem. Hoc idem etiam Vellejus et Ptolemaeus comprobare videntur, quorum ille, postquam (II, 106) Chaucorum nationes receptas fuisse narravit, verbis continuo factis: „Fracti Langobardi; gens etiam Germaniae feritate ferocior" classem, Albi flumine subvectam, exercitui Caesarique se junxisse adjicit; Ptolemaeus vero his verbis utitur: *Καυχῶν δὲ τῶν μειζόνων καὶ τῶν Συήβων Ἀγγριουάριοι εἶτα*[1]) *Λακκοβάρδοι*[2]).

[1]) Reichard (Germ. p. 68) propter hoc vocabulum Langobardos ab occidente Angrivariis finitimos habitavisse negat sed injuria opinor.

[2]) Plane repudianda Cluveri sententia est, qui (p. 55) pro *Λακκοβαρδοι* voce *Αμψιβαριοι* vocabulum scribendum censet.

Haec testimonia e Tacito et Vellejo et Ptolemaeo allata efficiunt, ut Strabonis verba [1]), ex quibus Langobardi trans Albim ponendi essent, nullius momenti existimem atque longe a Cluverii et Cellarii [2]) sententia recedam, qui haec Strabonis verba ac Suetonium [3]) secuti nimis in orientem spectantes Langobardos faciunt. Ex mea quidem sententia, veterum scriptorum testimoniis fulta, sedebat hic populus inter Aleram Albimque in principatu Luneburgico atque in ea regione, quae hodie vocatur Altmark, a meridie Chaucis finitimus [4]).

Idem quoque comprobatur historia et geographia aevi medii; nam una Stormarcis, Holzatis, Thetmarzis, a quibus populis septentrionales regiones fuisse possessas constat, Bardi contra Slavos agunt [5]), praeterea Carolus Magnus epistola sua ad Offam, Merciorum regem, anno 774 missa Saxonum et Langobardorum affinitatem agnoscit [6]); denique vero constat, Bardengau quendam pagum [7]) in hac regione

---

[1]) Strabo lib. VII. §. 3 . . . . μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἑρμόνδοροι καὶ Λαγκόβαρδοι.

[2]) Cellarius p. 383: „Supra hos populos (Verinos) amnem Spream versus, sive inter Albim et Oderam in Brandenburgica Marchia ponendi Langobardi videntur.

[3]) Sueton. (Octavian. 21): „Coercuit et Dacorum incursiones . . . . . Germanosque ultra Albim fluvium submovit." Sed quam infidus Suetonius sit, jam docet, quod de Caesaris victoriis plura quam ipse Caesar scit; dicit enim (Jul. 25) „Germanos, qui trans Rhenum incolunt, maximis affecit cladibus.

[4]) Idem etiam Grimmius (II, 683) annotat; nec minus Ungewitter: Neueste Erdbeschr. Dresd. 1844. p. 126.

[5]) Helmold. Chron. Slav. I, 16. 25. 34.

[6]) Gaupp: das alte Gesetz der Thüringer p. 68 et 69.

[7]) Bardengauwi Pertz I, 184.

exstitisse, quem ex Langobardis nominatum esse nemo non intelligit[1]).

Transeamus ad Fosos, de quibus Tacitus (Germ. 36) haec verba facit: „Tacti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens, adversarum rerum ex aequo socii, cum in secundis minores fuissent."

De quo populo, quum apud veteres scriptores, praeter hunc Taciti locum laudatum, nihil traditum invenias, jam opus est, ut nominum, quae a Fosis ducta videntur, rationem habeamus. Sumendum vero est propter nominis similitudinem, Fosos sedes habuisse ad Fusam fluvium, qui in monte, qui dicitur Hartz, ortus in Aleram prope Cellas influit. Huc accedit, quod „Fosenbrock" locus prope flumen Ocram in praefectura, quae vocatur Meinersen, situs Fosorum memoriam nobis nomine suo affert, unde Fosos a Cheruscorum septentrionali parte habitantes a meridie Chaucis fuisse finitimos conjicere licet.

Quum vero Cheruscos esse victos a Chattis Fososque, „ruina Cheruscorum tactos fuisse" constet, mirandum certe non videtur, Fosos quasi sublatos ex historia nec memorari a Ptolemaeo nec nomen pago cuidam, qui exstet, dedisse. Itaque Cluverus (in Germ. ant. p. 593) falsissime opinatur, Fosos eosdem fuisse atque Saxones[2]). „Malim suspicari, inquit, apud Tacitum corruptam esse vocem Fosi pro

---

[1]) Non dubitandum est, quin Langobardi meridiem versus ad oppidum usque, quod hodie vocatur Magdeburg se extenderint. Sed hoc omitto. Illud tamen quaerendum est, quo usque Langobardorum fines pertinuerint ad septentrionem versus. Conf. Wilhelm (Germ. p. 283).

[2]) Eandem sententiam Laccarius (nota ad Germ. Tac. 36. 37) profert.

Saxoni; prima syllaba Sa prorsus amissa, dein X et N vitiatis in F et S" et deinde his expositis: „Ex his satis manifestum fit, easdem tenuisse sedes Saxones, quas Fosis tradit Tacitus." Quam opinionem tamen ideo Cluverus attulisse videtur ut sententiam suam, Cheruscos usque ad oppidum, quod dicitur Hamburg, habitasse comprobaret.

Quum autem certum sit, ut supra demonstratum est, Chaucorum fines ad Albim fluvium usque fuisse porrectos atque a Langobardis esse possessos agros in ripa Albis sinistra sitos, ab occidente Cheruscis et ab septentrione Chaucis finitimos, praeterea Ptolomaeus ipse Saxones in Jutica peninsula habitantes faciat, non opus est ut Cluveri sententiam, jam a multis viris doctis[1]) oppugnatam, pluribus redarguamus, nostram sententiam de Fosorum finibus describendis supra prolatam tenentes[2]).

Jam vero Angrivarios[3]) videamus, quibus Chaucos secundum Fosos vicinis usos esse puto. De hoc populo Tacitus in libello de Germania conscripto (c. XXXIII) ita narrat: „Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis . . ."

Hic locus tamen, cum manifestum sit, Bructeros — ut infra videbimus — nequaquam „penitus excisos" esse, nihil

---

[1]) De Fosis longe lateque disputarunt viri docti, legas quaeso Spenerum (Notitia etc.), qui fere omnes sententias hac de re congestas examinavit.

[2]) Leibnitzius (script. rer. Brunsv. Tom. I. p. 12. not. 9) primus hanc sententiam protulisse videtur.

[3]) Angrivarii Tac. Germ. 33, Ann. lib. II. c. 8. 19. 22. *Ἀγγριουάριοι* Ptolem. II, 11. Anglevarii: Notitia Dignitatum ed. Böcking. Bonnae 1849. p. 20.

adfert ad Chaucorum fines constituendos; quam ob causam illarum, quas Germanicum contra Germanos suscepisse Tacitus narrat, expeditionum rationem habeamus necesse est.

Tacitus igitur (ann. lib. II. c. 8) narrat, Germanico metanti castra, classe Amisiae, prope Emdam fortassis in ripa Amisiae sinistra sitam, relicta, Angrivariorum defectionem a tergo esse nuntiatam Stertiniumque cum equite et armatura levi missum, igne et caedibus perfidiam esse ultum. Quum vero ex illo, quod in sequenti capite invenis, colloquio inter Arminium et Flavium fratres facto manifestum sit, Germanicum castra ad Visurgim proxime posuisse [1]) expeditionemque contra Angrivarios a Stertinio susceptam nonnisi ad Visurgi flumini finitimum quendam populum spectasse inde pateat, quod Stertinius „cum equite et armatura levi" missus paullo post ad exercitum revertitur ibique Flavium „plenum irae", quominus arma contra fratrem verteret, impedit: luce clarius mihi videtur, Angrivarios proxime ad Visurgim et quidem in sinistra fluminis ripa agros suos habuisse.

Praeterea Tacitus in annalibus (lib. II, c. 19) Angrivarios „lato aggere [2])" sejunctos fuisse a Cheruscis nos certiores facit. Quum vero ex annalibus (lib. II, c. 11, 12) Romanos Visurgim esse transgressos, manifestum sit, Angrivarios, de quibus hic sermo est, in ripa Visurgis dextra habitasse, nemo erit qui neget.

---

[1]) Hoc idem etiam Massmannus (Armin, H. F. Massmann. Lemgo 1839. p. 91) indicat Cluverusque non negat dicens (Germ. antiq. p. 553) „castra autem in ripa Visurgis posita fuisse, liquet ex sequentibus," nec minus Mascovius (p. 92).

[2]) Ubi hic agger latus situs fuerit, magna dissensio inter viros doctos est. Confr. Wilhelm (German. 164 et 165), Wersebe (Völker etc. p. 90), Mannert (Germania p. 89).

Angrivarios igitur Visurgis fluminis utramque ripam incoluisse certum est, quousque tamen eorum fines septentrionem versus pertinuerint, haud facile est dictu. Credibile vero est, si respexeris, in illa expeditione a Germanico inde ab Amisia ad Visurgim usque suscepta nullius proelii cum populo quodam commissi mentionem fieri[1]), Germanicum per Chaucos Romanis amicos esse progressum atque confestim ex Chaucorum finibus terram Angrivariorum intrasse, unde conjicere licet, Angrivarios Chaucis continuo finitimos fuisse, id quod etiam probabilius fit scienti, ab eodem populo ad Germanicum in Chaucis versatum milites tempestate delatos multos esse reductos[2]).

Hanc sententiam auctore Tacito relatam et Ptolemaei verba comprobant: *Καυχῶν δὲ τῶν μειζόνων καὶ τῶν Συήβων Ἀγγριουάριοι.* Nihil enim nos admonet, ut Angrivarios ex his verbis Ptolemaei nonnisi in dextera Visurgis ripa ponamus, quod multi scriptores faciunt. Quamquam enim non negamus, Ptolomaeum Chaucos majores inter Visurgim tantum et Albim habitantes facere, tamen etiam quos nominat *Σουήβους* non modo Visurgis ripam dexteram sed etiam sinistram et vel ripam dexteram Albis tenere constat, Angrivariis et Bructeris et Saxonibus vicinos. Eandem significationem latam et apud Strabonem Suevorum nomen habet. Strabo enim his verbis utitur (p. 290) *μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σουήβων ἔθνος· διήκει*

---

[1]) Multi hoc in capite Taciti lacunam esse credunt, quod minus necessarium esse puto.

[2]) Ann. (II, 24) Sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit . . . . . . multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere.

γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος· μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται[1]).

Quae quum ita sint, minime quidem Ptolemaeo repugnare videmur, qui Angrivarios in utraque ripa Visurgis posuimus neque opus est sumamus, quod Wilhelmus[2]) censet, Angrivarios vivente Ptolemaeo cum Chaucis minoribus artius se conjunxisse eamque Angrivariorem partem, quam secundum Tacitum in sinistra Visurgis ripa habitantem vidimus, in orientalem ripam postea emigrasse. Leviorem etiam Wersebejus[3]) sententiam profert, qui verba de Bructerorum interitu a Tacito facta nimis secutus, Angrivariorum gentem ad Lupiam superiorem sedisse et pro „Angrivarii" voce (lib. II, c. 19) vocabulum „Chauci" legendum existimat.

Nec minus Fr. Ritterus[4]), qui in cap. 8 et 22 lib. II. pro Angrivariis legendum „Amsivarios" verbum contendit et Giefers, juvenis a Rittero laudatus, qui omnibus locis „Amsivarii" lectionem vult recipi, errare mihi videntur[5]).

Priusquam vero ad ceteras gentes Chaucis vicinas progrediamur, Angrivariorum sedes, quas modo secundum

---

[1]) Conf. Dio Cass. 51. 52 et Caesar b. g. IV, 1.

[2]) Wilhelm, Germanien p. 167.

[3]) v. Wersebe, die Völker cet. p. 91.

[4]) Ritter: Cornelii Taciti Annales, not. ad lib. II. c. 8.

[5]) Jacobus Grimmius de Angrivariorum sedibus constituendis haec profert (Geschichte II, 630): „in der grafschaft Ravensberg liegt ein städtchen Enger, das für den hauptort des angrivarischen gebiets gelten kann; nur dafs sich die Angrivarier südlich nicht bis an die Chatten, nördlich nicht bis an die Chauken erstreckten." — quam sententiam equidem, provocans ad locos a me ex scriptoribus supra laudatos, non comprobaverim.

scriptores constituimus, probari etiam aevi medii geographia annotandum mihi videtur; nam illa, quae inter Westphalos et Ostphalos sita erat, regio media aetate Angaria[1]) nominata, haud dubie sicut „Engern" populus nomen suum Angrivariis debet[2]).

Jam transeo ad Chasuarios, quos secundum Angrivarios Chaucis finitimos fuisse puto.

Chasuaros[3]) semel tantum Tacitus commemorat dicens (Germ. 34) „Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuari cludunt aliaeque gentes haud perinde memoratae; a fronte Frisii excipiunt."

Angrivarii et Chamavi vero, quibus vicinos Tacitus modo laudato loco Chasuaros memorat, praecedente capite Bructerorum exstinctorum sedes tenuisse narrantur. Quum tamen — ut supra diximus — Bructeros nequaquam extinctos in suis antiquissimis sedibus mansisse constet, ex mea opinione per Angrivarios et Chamavos Bructeri intelligendi sunt, ut ad Chasuaris sedes assignandas propius accedamus. Bructeri autem utramque, ut infra videbimus, Amisiae inferioris ripam incolebant.

---

[1]) Falcke, Cod. Trad. Corb. Wigand Vehmg. Westph. p. 168.

[2]) Nemo quidem Wersebejo consentiet, qui, meram conjecturam faciens haec dicit (Völker cet. p. 130): „Unter der Benennung: Engern, Angern, Angeln, wurde ein Land oder ein Volk angedeutet, das sich zwischen andern in der Mitte oder Enge (!) befand." Cui sententiae etiam Ferd. Müller (die deutschen Stämme und ihre Fürsten. Berlin 1841. II. p. 425) repugnat.

[3]) Chasuari, Tac.; *Χαττουάριοι*, Strabo VII. I, §. 3—4; *Κασουάροι*, Ptolem. II, 11; Attuarii, Villej. Paterc. II, 105 et Ammian. Marcellin. XX, 10; Chatuarii (ann. S. Amandi ad an. 715 apud Pertz Mon. Germ. T. I. p. 6); Hatuarii (ann. Til. ap. Pertz Mon. Germ. T. I. p. 7); Hazzoarii (ann. Petav. ap. Pertz).

Quaerendae igitur sunt Chasuarorum sedes „a tergo" Bructerorum. Quum autem Tacitus „a fronte" verbis de Frisiis locutus utatur, qui occidentem versus et inter septentriones occasumque solis a Bructeris habitabant, errare equidem non videor, si „a tergo"[1]) vocabula orientem intelligens, Chasuaros ab occidente Bructeris finitimos prope Hasam amniculum pono.

Huc etiam *Χαττουαριοι* referendi sunt, quos Strabo (lib. VII. § 3 et 4) secundum *Χάττους*[2]) nominat, unde eos in Chattorum vicinitate degisse elucere videtur.

Quamquam igitur profecto haud multum Strabo cum Tacito discrepat, tamen ex neutro auctore certum aliquid haurire possumus, id quod summa inter viros doctos dissensio apertissime demonstrat[3]).

Itaque Ptolemaeum adhibeamus, sententiam, quam de Chasuarorum sedibus supra protulimus, nonnisi ab isto probatam servaturi. Dicit autem Ptolemaeus (II, 11): *πάλιν ἀπ' ἀνατολῶν μὲν τῶν αὐνοβαίων ὀρῶν οἰκοῦσιν ὑπὲρ*[4]) *τοὺς Σουήβους Κασουάροι.*

---

[1]) Quae sententia his vocibus „a tergo" subjicienda sit, pro certo dici nequit. Alii viri docti hac de re aliter disputarunt. Conf. (Cornelii Taciti de situ .... libellus ed. Theophilus Kiesslingius. Lips. 1832) not. ad cap. XXXIV, ubi sententias diversissimas congestas invenies.

[2]) Semel inter Chattos Chasuarosque *Γαμαβρίουοι* nominantur.

[3]) Ledeburius (Land und Volk cet. p. 102 seq.), Zeussius (die Deutschen cet. p. 99 et 100), Grimmius (Geschichte cet.), Taciti Chasuaros et Strabonis „*Χαττουραριοι*" diversos esse populos putant, cui tamen sententiae jam Gerlachius (Encyclopaedia p. 316) repugnat.

[4]) Mannertus (German. p. 179) et Zeussius (99, 100) „*υπο*" lectionem sed non satis probatam praedicant.

Quodsi per montem, qui a Ptolemaeo vocatur Abnoba, illum saltum, quo terra Hessica a Westphalia dividitur[1]), per Suevos[2]) autem Chattos intelligimus, hic locus e Ptolemaeo allatus in sedes, quas Chasuaris Strabone Tacitoque auctoribus designavimus, optime quadrat nec jam dubium est, quin Chasuari prope Hasam fluvium habitaverint ab meridie Chattis, ab oriente Bructeris, ab occidente Angrivariis, a septentrione Chaucis finitimi. Hoc etiam medii aevi geographia comprobare videtur; nam in his regionibus pagus quidam „Hasengau" nominatus exstitit, quem a Chasuaris nomen traxisse credibile est[3]).

Sed ad Bructeros[4]) transeamus, Chaucis secundum Chasuarios finitimos, de quo populo Leopold de Ledeburius in libello illo, saepe a me laudato, qui inscribitur: Das Land und Volk der Bructerer — subtilissime et doctissime disputavit, ita ut primo aspectu quaeque de hoc populo disquisitio superflua esse videatur. Quum vero alia mihi Germanorum veterum finium constituendorum ratio ac Ledeburio sit ideoque diversae nobis sententiae evadant, et Bructerorum sedes ex veterum scriptorum testimoniis definire, sicut in ceteris populis egi, conabor.

---

[1]) Hac de re infra, in Sect. III, disputabimus.

[2]) Suevorum nomen antiquis temporibus pluribus gentibus commune fuisse apparet ex iis, quae supra attulimus. Conf. Cluverus (Germ. antiq. 433. 524. 529).

[3]) Ledebur (Land u. Volk cet. p. 105. Anmerk. 401). Plane falsam sententiam de Chasuarorum sedibus protulit Gruber (Tac. Germania. Berolini 1832. p. 82. not. 34).

[4]) Bructeri. Script. Latin.; *Βούκτεροι* et *Βρούκτεροι* — Strabo; *Βουσάκτεροι* — Ptolemaeus; Bructuri — Tabul. Peuting. Seg. II; Bricteri — Gregor. Tour. lib. II. c. 9; Boructuarii — Beda in hist. eccl. IV, 11.

Ac primum [1]) quidem Strabo Bructeros inducit his verbis (lib. VII. c. I, §. 3) *εἰσὶ δὲ μεταξὺ καὶ ἄλλοι ποταμοὶ πλωτοὶ (ὧν ἐν τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος Βρουκτέρους [1]) κατεναυμάχησε) ῥέοντες ὡσαύτως ἀπὸ νότου πρὸς βοῤῥᾶν καὶ τὸν ὠκεανόν·*

His verbis igitur Strabo nos certiores facit, navale proelium inter Drusum Bructerosque in Amisia flumine esse commissum, unde Bructeros ad Amisiam fluvium [2]) degisse patet. — Praeterea, etsi non exploratum est, utrum hoc proelium intra Bructerorum fines factum sit necne, tamen conjicere licet, eorum fines, quum iis longae naves essent, quibus cum classe Romana dimicare auderent, septentrionem versus usque ad eam regionem, ubi amnis ipse navigari potest, patuisse nec jam improbabile est, hunc populum prope Chasuarios a meridie Chaucis finitimum fuisse.

Hanc sententiam etiam alter Strabonis locus, supra jam allatus, comprobat, quo Bructeri ad populorum septentrionalem oceanum accolentium numerum referuntur; neque quidquam nos impedit, quominus etiam Bructeros, quorum Vellejus [3]) expeditionem a Tiberio in Germanos anno quarto p. Chr. n. susceptam narrans inter Attuaros et Cheruscos

---

[1]) Num civitatibus illis Bructeri adnumerandi sint, quae amicitiam a Caesare petierunt (b. g. lib. IV. c. 18), certo quidem, quod de Ledeburius (p. 174) facit, contendi non potest. Nec vero Wersebejo assentiendum est, qui (Völker u. Völkerb. p. 14 et 86) pugnam inter Drusum Bructerosque factam in dubio ponit.

[2]) Per Amisiam vero Lupiam fluvium esse intelligendum secundum Mannerti auctoritatem (Geographie der Griechen und Römer t. III. p. 207) jam de Ledeburius (Land und Volk cet. p. 9) negavit.

[3]) Vellej. Paterc. (lib. II. c. 105): Neque verbis exprimi et fortasse vix mereri fidem potest, intrata protinus Germania,

mentionem facit, easdem sedes tenuisse contendamus, quas jam Strabone auctore constituimus.

Ut tamen accuratius regiones a Bructeris possessas cognoscamus, illarum, quae a Germanico in Germanos susceptae erant, expeditionum rationem habeamus necesse est, de quibus Tacitus haecce habet (ann. lib. I. c. 60). „Et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Pedo praefectus finibus Frisiorum ducit.... Chauci cum auxilia pollicerentur in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu Lucius Stertinius missu Germanici fudit; ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter, vastatum."

Ex his verbis, quum certum sit, copias eductas esse e castris ad Rhenum positis, apparet, Bructeros, per quos Caecina missus est, in sinistra Amisiae ripa habitasse; nec minus perspicuum est, illos Bructeros, qui a Lucio Stertinio fusi narrantur, agros in dextera Amisiae ripa sitos tenuisse; nam Bructeri in sinistra fluminis ripa degentes, per quorum fines Caecinam esse profectum scimus, quum Rheno fluvio, ad quem Romani castra stativa habebant, finitimi essent, hostes se praestare ausi non videntur, id quod tibi probabilius fit, si respexeris, Tacitum nullius proelii inter Caecinam et Bructeros commissi mentionem facere; Stertinium autem re vera in Bructeros ripam dexteram tenentes profectum esse, verba „sua urentis" respiciens, sine ulla dubitatione confirmaverim. Neque enim credibile est,

---

subacti Caninefates, Attuari, Bructeri, recepti Cherusci gentes et amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis.

illum populum se eo retulisse, ubi patria fines Romanos attingebat, sed recessisse ad socios suos, qui ad Visurgim Hercyniam silvam circumsedebant.

Quae quum ita sint, dubium non esse potest, quin Bructeri utramque Amisiae ripam incoluerint.

Praeterea his verbis docemur, quousque septentrionem versus Bructerorum fines porrecti fuerint. Tacitus enim narrat, Germanicum, Caecinam, Stertinium ad Amisiam ex composito convenisse. Ubi ille locus conveniendi situs fuerit, exploratum quidem non est; verisimile tamen est, eundem quum Germanicus cum classe illuc pervenerit, prope mare Germanicum in illa regione, qua Amisia graves naves perferre potest, jacuisse atque nihil obstat, quominus, praesertim quum Chaucos Bructerosque ordine quodam conjunctos Tacitus memoret, illum locum in confiniis Chaucorum et Bructerorum esse collocandum contendamus.

Quae adhuc de Bructerorum sedibus protulimus, etiam Ptolemaei verbis optime comprobantur, qui minores Bructeros, Rhenum accolentes, a septentrione Frisiis finitimos, majores vero a septentrione Chaucis finitimos nominat. Is enim dicit haec: *Κατέχουσι δὲ τῆς Γερμανίας τὰ μὲν παρὰ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν ἀρχόμενοις ἀπ᾽ ἄρκτων οἵ τε Βουσάκτεροι οἱ μίκροι καὶ οἱ Σύγγαμβροι ...... Τὴν δὲ παρωκεανῖτιν κατέχουσιν ὑπὲρ*[1] *μὲν τοὺς Βουσακτέρους οἱ Φρίσσοι μέχρι τοῦ Ἀμισίου ποταμοῦ. .... Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη καὶ μεταξὺ κεῖνται, Καύχων μὲν τῶν μικρῶν καὶ τῶν Συήβων Βουσάκτεροι οἱ μείζους ὑφ᾽ οὓς Χαῖμαι.*

---

[1]) Ptolemaeus hoc loco a septentrionibus profectus significat voce ὑπὲρ „nostrum nördlich" voce ὑπὸ „nostrum südlich."

Bructeros igitur Tacito, Strabone, Ptolemaeo testibus Chaucis propinquos fuisse, nemo erit, qui neget; restat tantum, ut, priusquam ab hoc loco discedamus, sententiam a Ledeburio de Bructerorum sedibus constituendis prolatam paucis redarguamus.

Ledeburius minores Bructeros a meridionali parte majorum Bructerorum habitasse contendit; quam falsa tamen haec opinio sit, locus e Ptolemaeo allatus ita docet, ut hac de re verbis parcam; nec minus errare mihi videtur idem vir doctus, putans, Bructeros utramque Lupiae ripam incoluisse. Nam si respexeris, accuratius perpensis Taciti his verbis: „ductum inde agmen cet." Germanicum inde a terris septentrionalibus esse profectum, ultimos Bructeros nonnisi a septentrionali parte Lupiae fluminis degisse ideoque hujus populi fines nequaquam ultra Lupiam patuisse apparebit. Id quod etiam Dio Cassius nos docet illam, quae a Druso in Cheruscos suscepta erat, expeditionem commemorans his verbis (Hist. Rom. L. N. c. 33): *Ἅμα δὲ τῷ ἦρι προς τὸν πόλεμον αὖθις ὥρμησε, καὶ τόντε Ῥῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τοὺς Οὐσιπέτας κατεστρέφατο· τόντε Λουπίαν ἔζευξε καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἐς τὴν χερουσκίδα προεχώρησε, μέχρι τοῦ Οὐϊσουργου.*

Namque si Bructeri re vera utramque Lupiae ripam tenuissent, mihi non dubium est, quin Dio eorum hoc loco mentionem fuisset facturus.

Quae quum ita sint, nihil obstat, quominus contendamus, Strabonem, cujus auctoritatem in Bructerorum sedibus describendis Ledeburius potissimum est secutus, in errore quodam versari, haec referentem (lib. VII, 1, §. 3)

„ἐπὶ ταὐτὰ δὲ τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται, Βισουργίς τε καὶ Λουπίας ποταμὸς διέχων Ῥήνου περὶ ἑξακοσίους σταδίους, ῥέων διὰ Βρουκτέρων τῶν ἐλαττόνων." Quae verba per se ipsa refutantur, ut ita dicam; nam Lupiam flumen in saltu Teutoburgiensi ortum occidentem versus in Rhenum influere, non in mare effundi nec omnino sexcenta stadia a Rheno abesse inter omnes constat.

Quod denique Ledeburius profert, exstitisse media aetate „Boroctra" pagum, e Bructeris haud dubie nominatum, eosdem antiquissimis temporibus ibi habitasse minime docet, — nonne enim fieri potuit, ut Bructeri posterioribus temporibus meridiem versus propulsi illi pago nomen dederint? — Sed ne ab eo, quod propositum est, longius aberrem, transeo ad Frisios[1]), secundum Bructeros Chaucis finitimos.

Omnes tamen viri docti ex communi scriptorum veterum consensu concordant, hujus populi fines orientem versus usque ad Amisiam fluvium fuisse porrectos, unde Frisios ab occidente Chaucis finitimos atque ab iisdem divisos Amisia fluvio fuisse apparet. Quae quum ita sint, hanc rem pluribus persequi non opus est.

Sunt igitur referendi in numerum gentium illarum, quae Chaucis finitimae erant, — ut omnia, quae a nobis de finibus hujus populi describendis exposita sunt, breviter complectamur, — Cimbri, Teutoni, Langobardi, Fosi, Angrivarii, Chasuari, Bructeri, Frisii.

Sed forsitan quispiam dixerit, qui in indagandis cognoscendisque regionibus veteris Germaniae posuerit operam,

---

[1]) Frisii, script. lat. Φρίσσοι Ptol. Οἱ Φρείσιοι Dio Cass. Οἱ Φρίσσονες Procop. cet.

fugisse me, Ampsivarios Chaucis finitimos esse habendos. Dicendum igitur est de Ampsivariis. Equidem censeo, nullum populum usque ad annum quinquagesimum p. Chr. n. exstitisse, cui nomen Ampsivariorum fuerit, sed Ampsivarios a Tacito laudatos nihil nisi Angrivariorum partem esse habendos.

Quum tamen haec sententia auctoritate omnium auctorum gravissimorum, qui eandem rem tetigerunt, refellatur, in hac re aliquanto diutius commorandum mihi esse existimo.

Ampsivarii ab omnibus fere ad Amisiam inferiorem inter Chaucos Bructerosque habitasse putantur, in illa igitur regione, quam Romanis non minus notam quam gravem fuisse negari nequit. Quamvis autem haec regio Romanis prorsus nota fuerit, tamen in nulla expeditione a Romanis in Germanos suscepta nominis Ampsivariorum mentio fit: Cassius Dio, Vellejus, Tacitus, Strabo omnes denique scriptores Romani hoc de populo tacent: id quod eo magis mirandum videtur, quum Romanis Amisiae accolas ante omnes fuisse cognitos nemo sit qui neget.

Itaque ex scriptoribus Chaucorum sedes me constituturum esse professus, Ampsivarios supra commemorare non potui. Scio tamen, fore plerosque qui meam opinionem gravissimis, ut opinantur, argumentis oppugnent, sibi persuasum habentes, ex auctoritate Ledeburii[1]), Wilhelmi[2]), Paulyi[3]), Kufahlii[4]), Grimmii[5]) apud Strabonem in vocibus

---

[1]) Ledebur: Land und Volk cet. p. 90 seqq.
[2]) Wilhelm: Germanien. p. 209 seqq.
[3]) Pauly: Encyclopaedia. I, 444.
[4]) Kufahl: Geschichte der Deutschen. p. 209.
[5]) Jacob Grimm: Geschichte der Deutschen Sprache. II, p. 782.

Ἀμψάνοι vel *Καμψιανοὶ* Ampsivarios a Tacito commemoratos esse quaerendos. Necesse igitur est, illos, quibus „*Ἀμψάνων* vel *Καμψιανῶν*" mentio fit, locos accuratius examinemus.

Strabo *Ἀμψιάνους* vel *Καμψιανοὺς* (omnes enim inter se consentiunt utroque nomine unum eundemque populum significari) bis commemorat hoc loco [1]) eos populis ad Oceanum accolentibus adnumerans, illo [2]) iis nationibus, ex quibus Germanicus triumphum egit.

Causam, cur hic populus, cui nomen *Ἀμψάνων* est, Ampsivarii sint habendi, equidem non satis intelligo atque nihil obstat, quominus hoc nomine alium quendam populum significari contendamus. Haec etiam est causa, cur, qui *Ἀμψιάνοι* illi fuerint, scriptores inter se discrepent, nec desunt, qui *Ἀμψάνων* nomine nunc hanc nunc illam nationem comprehensam fuisse putaverint, sic, ut nonnullos afferam, Wenckius [3]) Chamavos intelligit, Reichardus [4]) autem eosdem in Albis fluvii latere orientali ponit, cui in vocibus „Kampz" „Cams" et „Kamps" in ducatu Mecklenburgensi hujus populi nominis vestigia superesse videantur.

Nobis autem diligentius locos Strabonis perscrutantibus apparebit, *Ἀμψάνους* vel *Καμψιανοὺς* nullos nisi Angrivarios esse habendos.

---

[1]) Hunc locum jam supra (p. 32) attuli.

[2]) Strabo lib. VII. §. 4. p. 7: *ἐπόμπευσε δὲ καὶ Δίβης τῶν Χάττων ἱερεύς καὶ ἄλλα δὲ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν Καθύλκων καὶ Ἀμψάνων, Βρουκτέρων, Ὀυσίπων, Χηρούσκων, Χάττων, Χαττουαρίων, Λανδῶν, Τουβαττίων.*

[3]) Helfrich Bernhard Wenks: Hessische Landesgeschichte. Frankfurt und Leipzig 1789. IIto. p. 29. not. f.

[4]) Reichard: Germanien cet. p. 59.

Nam primo quidem loco omnes populos ab occidente ad orientem profectus enumerans[1]), *Καμψιανοὺς* Strabo ultimos nominat: unde haud dubie potest conjici, *Καμψιανοὺς* inter Visurgim Albimque habitasse. Idem etiam alter locus demonstrat, ubi itidem Strabo ordinem quendam geographicum sequi videtur et ab oriente orsus inter priores populos *᾽Αμψιάνους* nominat. Huc accedit, quod huic populo in utroque loco *Καοῦλκοι* vel *Καθύλκοι* nomen antecedit (his vocibus eundem populum significari sine ulla dubitatione Krahmero Zeussioque[2]) auctoribus contendi potest) unde sequitur, ut *᾽Αμψάνοι Καούλκων* fines accoluerint. Ac si *Καούλκους* vel *Καθύλκους* a Strabone commemoratos eosdem fuisse ac *Καλυκῶνες* a Ptolemaeo nominatos[3]) quos in utraque Albis fluvii ripa prope Cheruscos sedisse constat[4]), censemus, extra omnem equidem dubitationem positum putamus, *᾽Αμψάνους* nisi Visurgim inter Albimque non habitasse, ubi tamen Ampsivarii nunquam.

---

[1]) Mihi enim Strabo nisi in populis trans Albim habitantibus ordinem geographicum non neglexisse videtur, nihil autem impedit, quominus populos cis Albim degentes, quos quidem melius cognovit, ordine geographico servato, nominaverit.

[2]) Kramer: Strab. edit. lib. VII. p. 5. *Καοῦλκοι* diversi non sunt ab iis qui *Καθύλκοι* nominantur. Zeuss, d. Deutschen p. 112.

[3]) Leibnitz (sc. rer. Brunsv. Tom. III. p. 17): Calucones aliis ignoranti, nisi forte huc pertinent Caulci aut Cathulci Strabonis. Zeuss: die Deutschen cet. p. 112. Kramer: Strabonis Geogr. lib. VII. not. p. 5.

[4]) Geogr. Ptolemaei II, 11: „*ὑπὸ τοὺς ᾽Ιλίγγας Καλυκῶνες ἐφ᾽ ἑκατέρα τοῦ ῎Αλβιος ποταμοῦ, ὑφ᾽ οὓς Χαιροῦσκοι.* Per hunc Strabonis populum „*Καοῦλκοι*" nominatum Chasuaros esse intelligendos, a Ledeburius (Land cet. p. 102 seqq.) et F. Müllerus (die deutschen Stämme I, 151) injuria contendunt.

sed Angrivarii — quod supra demonstrasse mihi videor — habitabant. Itaque geographia meae sententiae favet, per *Ἀμψανῶν* populum Angrivarios esse intelligendos.

Haec sententia etiam historia comprobari mihi videtur. Supra enim in finibus Angrivariorum describendis vidimus, bis Stertinium a Germanico esse missum in seditiosos Angrivarios: unde sequitur, ut iidem inter primores populos numerandi sint, de quibus Germanicus triumphavit, id quod etiam Tacitus liquido dicit: (ann. II, 41) „Gajo Caecilio Lucio Pomponio consulibus Germanicus Caesar ante diem septimum Kalendas Junias triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis, quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt."

Quum vero Strabo triumphum Germanici copiosissime describens non modo minores obscurioresque populos commemoret, sed vel singulos homines nominet, mirandum certe esset, si Angrivarios, principem hunc populum, omisisset ideoque constare videtur, per *Ἀμψανῶν* populum intelligendos esse Angrivarios.

Si qui autem propter diversam nominum scripturam sententiam meam vituperent, iis certe Krameri V.D. verba objecerim: „Inter omnia, inquit, Graecarum literarum monumenta, quae quidem ad hanc aetatem pervenerunt, nescio an nullum sit quod iniquiorem fortunam habuerit quam Strabonis Geographica . . . porro (Praefationis p. LXXXIV) sed non pauciores paene sunt loci corruptissimi et ipsi, ad quos sanandos cum vel optimi codices parum valeant, conjectura opus est . . . . nec minus (p. LXXXVIII) . . . . inde efficitur, ut nonnumquam dubius haereas, quamnam scripturam a Strabone profectam esse putes, maxime in

nominibus propriis aut raris aut varie a variis scriptoribus conformatis[1]).”

His expositis quaerat quispiam, quomodo Taciti locus, quo Ampsivariorum nominis mentio fit, sit intelligendus. Quem igitur locum examinemus.

Tacitus haecce habet: (ann. XIII c. 55) „Eosdem agros Ampsivarii occupavere, validior gens non modo sua copia sed adjacentium populorum miseratione, quia pulsi a Chaucis et sedis inopes tutum exilium orabant. Aderatque iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus, nomine Bojocalus, vinctum se rebellione cherusca jussu Arminii referens, mox Tiberio, Germanico ducibus stipendia meruisse et quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere, quod gentem suam ditioni nostrae subjiceret.... ...Haec in publicum Ampsivariis respondit, ipsi Bojocalo ob memoriam amicitiae daturum agros... Illi Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant... Igitur absistentibus his, pari metu exterriti Bructeri et ceteris quoque aliena pericula defendentibus, sola Ampsivariorum gens retro ad Usipios et Tubantes concessit, quorum terris exacti quum Chattos, dein Cheruscos petissent, errore longo hospites egeni, hostes in alio, quod juventutis erat, caeduntur: imbellis aetas in praedam divisa est.”

His verbis Tacitum quidem nominare Ampsivarios docemur, sed nihil nos impedit, quominus partem Angrivariorum eos fuisse censeamus, quae ex patria emigraverit

---

[1]) Praeterea Kramerus idem nos docet, apud Strabonem literas inter se permutatas, literas aut syllabas similes et omissas esse et iteratas.

novumque Ampsivariorum nomen a novis sedibus, fortasse ab Amisia fluvio[1]), acceperit. Quin etiam conjicere licet, hos Ampsivarios eosdem fuisse ac Angrivarios, quos Tacitus Bructerorum exstinctorum sedes occupasse narrat. Inaudita vero loqui videor; nam Ampsivarii jam anno 59 commemorantur, pugna autem in Bructeros facta est secundum Ledeburium p. Chr. n. anno 96 vel 97, secundum Wilhelmum anno 98 secundum Ritterum inter 70—98 annos, secundum Paulyum anno 100[2]), — tamen hanc sententiam teneo.

Ampsivarios quidem anno 59 sedes ab Avito petiisse omni modo ex auctoritate constat historiae; quando vero proelium contra Bructeros sit commissum, certo dici non potest. Tacitus hac de re his verbis utitur (Germ. 33) „Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant; nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis[3]) vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos deorum."

---

[1]) Fieri potuisse, ut pars cujusdam populi, quae ex patria emigraverit, novum nomen sibi imposuerit, Tacitus (Germ. 29) testatur; credibile igitur est, Angrivarios illos, quos ex patria emigrasse contendo, ex Amisia fluvio esse nominatos; quod novum nomen optime convenit nomini Angrivariorum („die sich auf Angern niedergelassen" Grimm. Gesch. II, 783).

[2]) Ledebur: Land und Volk p. 240. Wilhelm: Germanien p. 127. Franziscus Ritter: Not. ad Germaniam. Pauly (Encyclopaedia I, 483).

[3]) Bructeros re vera non excisos esse inter omnes constat factam autem esse in Bructeros pugnam negandum non est. Conf. M. A. de Bethmann-Hollwegium (über die Germanen vor der Völkerwanderung. Bonn 1850. p. 6).

Quamquam tamen Tacitum libellum de Germania conscriptum anno 98 edidisse[1]) ponimus, tamen, etsi verisimile, non opus est, illam pugnam, de qua in modo citatis verbis sermo est, paullo ante factam esse intelligamus. Nam si consideraris, Claudium anno 49 Corbuloni imperasse, ne novas in Germanos susciperet expeditiones ut legiones autem passim in praesidio relictas trans Rhenum reduceret[2]) (quod factum esse scimus); si porro perpenderis, exercitum Romanum Nerone, Galba, Othone, Vitellio, Vespasiano, Tito, Domitiano[3]) Nerva imperatoribus in Germaniam septentrionalem nullum pervenisse: quid est, quod nos impediat, quominus conjiciamus, Romanos inde ab anno 50 usque ad 80 annum Germaniae septentrionalis res internas omnino ignorasse, quod et Tacitus (Germ. c. 41) verbis: „Albis flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur" et Eutropius narrans (lib. VIII c. 3) Trajanum imperatorem urbes trans Rhenum in Germania reparavisse, apertissime comprobant.

Hac sententia comprobata, nemo mihi adversabitur conjecturam facienti, pugnam contra Bructeros inter annos 49 — 58 factam esse paullo postquam Romani terram in Rheni fluvii dextera ripa sitam reliquerint, per Ampsivarios, quos per Chaucos pulsos mox plane exstinctos esse constat, Angrivarios esse intelligendos, qui in Bructerorum sedes immigrasse narrantur, Romanos autem demum certiores de hac re esse factos, quum denuo in interiorem

---

[1]) Ritter Prooemii p. XVIII.

[2]) Tac. Ann. XI. c. 19 et 20, Dio Cassius lib. LX. c. 30.

[3]) Pugnas Domitiano regnante cum Chattis factas commemorari non nescio.

terram processissent: id quod factum esse Trajano regnante videmus.

Quae si recta sint exposita, haud mirum est, quod neque Angrivarios neque Ampsivarios Ptolemaeus in Bructerorum sedibus cognovit[1]).

Ne vero quidquam ad Ampsivariorum historiam firmandam omittamus, contrarium omnino sententiae meae Kufahlii judicium de hoc populo latum memoremus, qui recentior rerum gestarum auctor diserta haec verba facit[2]): „anstatt durch Zögerungen und Bedenklichkeiten den Arminius der Gefahr und dem Zeitverluste auszusetzen, empfingen die Marsen, die Bructerer, die Usipier, Chattuarier, Lahngauer, Batten und Chatten mit Dankbarkeit und freundlichem Gehorsam die Befehle ihres neuen Feldherrn. Die Hoffnung der Freiheit war allen so süfs und so lockend, dafs selbst die zum Ingaevonischen Verbande gehörenden Bewohner des Hase- und Emsgaues, von den Römern Chasuarier und Ansibarier genannt, dem Rufe des Vaterlandes nicht wiederstrebten. Die Ansibarier gingen am weitesten in ihrem Eifer für Arminius: sie legten sogar ihren Fürsten Bojokalus in die Ketten, weil er das Bündnifs mit Rom zu erhalten trachtete."

Quod Kufahlius Ampsivarios in illud foedus coiisse, quod dicitur, Cheruscorum, existimat, id ei nullo modo assentior.

Quamquam enim Kufahlius Strabone et Tacito auctoribus nititur, tamen equidem sententiam ejus conjecturam

---

1) Ampsivarios media aetate exstitisse negari nequit, sed hoc non pertinet ad meam rem.

2) Kufahl: Geschichte der Deutschen p. 209. 210.

meram nec ulla rerum memoria probatam judicare audeo. Nam Strabonis loci jam supra perlustrati sunt atque, quum demonstrasse mihi videar, nihil in his locis inesse, quod te cogat, ut Ἀμψανῶν populum Ampsivarios censeas, non habeo, quod adjiciam, Taciti vero locum intuenti incredibile mihi videtur, quomodo Kufahlius Bojocalum nominare Ampsivariorum principem possit, quomodo porro contendere audeat, Ampsivarios hunc Bojocalum ipsos in catenas conjecisse, quarum quidem rerum nihil Tacitus commemorat. Is contra liquido dicit, Bojocalum vinctum esse jussu Arminii et verba „aderat iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus —" Kufahlii sententiam nequaquam comprobant, quippe quae ducem tantum Bojocalum fuisse demonstrent, quem Ampsivarii sibi in angustiis versatis elegerint[1]. Unde satis, ut puto, apparebit, cur Ampsivarios equidem inter hos populos, qui regionis a Chaucis possessae a meridionali parte quaerendi sunt, non numeraverim.

Priusquam vero finem commentationis parti secundae faciam, ne quid huic disputationi deesse videatur, commemorandum mihi est, Tacitum ipsum meae sententiae repugnare. Is enim et Chattos et Cheruscos — ut supra vidimus — Chaucis finitimos disertissime appellat, a qua

---

[1]) Meam opinionem Bethmann-Hollwegi auctoritas adjuvat dicens (über die Germ. p. 52): Aber es fehlt auch nicht an Beispielen, wo Gemeinfreie oder doch solche, von denen nur Waffenruhm als Grund der Auszeichnung erwähnt wird, zu Volksherzogen erhoben wurden. Conf. not. 3, ubi in horum numero Bojocalus refertur; — vel Mascovius (Geschichte der Deutschen von Johann Jacob Mascou. Leipzig 1726. p. 114) necessitutidem, quae inter Bojocalum Ampsivariosque fuerit, jam intellexisse videtur.

ejus sententia mihi recedendum esse videtur contra multorum auctoritatem. Ut nonnullos afferram, Tacitum secuti sunt Eckartus[1]) qui Chaucis Cheruscos vicinos facit, Feinius[2]), qui Chaucis propinquos Chattos nominat, Spenerus[3]) qui Chasuarorum nomine Chattos intelligendos esse censet, Ledeburio[4]) et Muellero[5]) consentientibus.

Equidem vero Tacitum in utroque supra laudato loco inde errasse auctore Zeussio[6]) censeo, quod Angrivarios Chamavosque ex pristinis suis sedibus in Bructerorum fines immigrasse haud recte opinatus sit. Neque enim historia neque antiqua geographia Chaucos aut Chattorum aut Cheruscorum fines attigisse demonstrari potest.

Nunc quoniam veterum scriptorum testimoniis allatis

---

[1]) Eckart, Res Franciae orientalis. Wiceburgi 1739. p. 8: Cherusci in utroque Visurgis littore inde extendebantur usque in Chaucos et in Dioecesi, quae jam est, Hildesheimensi finitimos habebant Fosos.

[2]) Fein, Hannöversche gelehrte Anzeigen 1754. N. 9: Hic enim Chattos usque ad Aleram patentes ibique Chaucis finitimos faciens illius regionis vocabula laudat (ut Tor Katten, To der Katten, Cattensen, Catensenhorst, Ketzenmühle, Kattenposte, Katzhorn, Hasse, Hasselbruch cet.), quae omnia a Chattis nomina teneant. Sed haec verba recentiora certe aut a „Katzen" aut ab „Hasse" vocibus ducenda sunt, quarum haec collem significat. Conf. Steffens: Historische Abhandlung von der Stadt Zelle. N. 6. p. 35 et Wersebe (Völker cet. p. 115).

[3]) Spener: Notitia Germ. ant. l. III. p. 273.

[4]) Ledebur: Land und Volk cet. p. 103.

[5]) Dr. Ferdin. Heinr. Müller: Die deutschen Stämme I, 152.

[6]) Zeuss (die Deutsch. p. 140): Nicht einmal die Chauken und Cherusken gränzen zusammen, noch weniger ist an eine unmittelbare Berührung zwischen Chauken und Chatten zu denken.

demonstravi, quibus a populis Chauci antiquissimis temporibus fuerint inclusi, restat, ut accuratius de finibus ipsis, quos mea ex sententia occupaverat hic populus disseram. Qua in re quam difficilis sit accurata descriptio et ab omni dubio vacua finium veteris populi, cujus nomen per multa saecula fere evanuit, neminem fugit, qui aliqua ex parte terminis antiquarum Germaniae gentium definiendis operam dederit: quare fore spero ut venia mihi detur, si forte hic illic erraverim. Equidem terram Chaucorum circumscriptam esse censuerim linea quadam ab ostio Amisiae meridiem versus ac secundum flumen ad eum usque locum ducta, qui a nostratibus „Weener" appellatur quique haud procul ab Ledae fluminis ore abest, ubi in Amisiam influit, hinc producta ad Hausberge locum, qui Visurgi fluvio adjacet, inde juxta ripam fluvii occidentalem septentrionem versus usque ad eam regionem, ubi Alera in Visurgim effunditur, ac per Visselhoevede, Wolterding, Salzhausen, quae nunc vocantur, in eam usque regionem continuata, ubi Luhe rivus in Albim influit, hinc ad Albis os ac denique eo ab loco ad Amisiae caput reducta. Qua descriptione facile intelligitur, quae regiones, ut nunc sunt, pristinis Chaucorum finibus contineantur: sunt enim hae:

Frisia orientalis, comitatus Oldenburgicus et Delmenhorstanus, maxima episcopatus Monasteriensis pars, comitatus Diepholtanus et Hoyensis et septentrionalis episcopatus Mindensis pars, ducatus Bremensis Verdensisque et septentrionalis principatus Lünburgici pars[1]).

---

[1]) Nunc eo magis apparet, erravisse Conringium, ut supra jam contendimus, praeter regiones illas a me Chaucis adscriptas etiam has ab iis occupatas esse ratum: „Ut proinde, inquit

Itaque si vera est sententia mea modo prolata ac si rependeris; quousque Chauci meridiem versus processerint non erit cur de loco illo Plinii dubitetur dicentis: „Aliud e silvis miraculum: totam reliquam Germaniam replent, adduntque frigori umbras: altissimae tamen haud procul supra dictis Chaucis, circa duos praecipue lacus . . ."[1]) et assentior Kufahlio lacus eos esse existimanti Duemmerum et Steinhuderum[2]), qui hodie appellantur.

(in ant. stat. Helmst. p. 69 et 70), ad Chaucos majores cum pertinuerint Bremenses . . . . . . Brunsvicenses, Halberstadenses, Magdeburgenses, Marchionatus veteris Brandenburgici nunc dicti populi fortassis ad Salam usque" . . . . nec minus Dankwardium, qui haec protulit (Caspar Dankward: neue Landesbeschreibung p. 37): „Nun die Chauci haben zur Zeit des Tacitus inne gehabt: Ostfriesland . . . . Stormarn, Holstein, Ditmarsen, Eiderstedt und die Gegenden an der Ostsee von Kiel bis etwa Schleswich . . ."

[1]) Plin. h. n. XVI, 2.

[2]) Kufahl: Geschichte der Deutschen p. 196.

VITA.

Natus sum ego Hieronymus Völkel anno MDCCCXXV a. d. III. Non. Febr. Peterswaldaviae, in vico Silesiae prope urbem Reichenbachium sito, patre Hieronymo, lanio, matre Maria Rosina, e gente Müller, quos jam praematura morte mihi ereptos esse maxime doleo. Primis literarum elementis in schola vicana, rectore Schindlero, imbutus sum. Hinc anno MDCCCXXXVIII, annum agens tertium decimum, gymnasium ad St. Matthiam, quod etiamnunc floret Vratislaviae sub auspiciis A. Wissowa, adii: ubi versatus sum per octo annos, usus optimis praeceptoribus, quibus omnibus quamquam multum debeo, tamen singulariter Augusto Wissowa nec non Julio Zastra gratiae videntur agendae, quos doctiores an humaniores dicam nescio. Examine, quod dicitur maturitatis, superato, anno MDCCCXLVI almam hanc universitatem Fridericam Guilelmam petii, cujus civibus ab Boeckhio, V. Ill., tunc rectore Magnifico, a. d. III. Id. Octbr. adscriptus, nomen apud b. Lachmannum, decanum amplissimi ordinis philosophorum, professus sum. Ita historiae et philologiae praecipue studiis traditus, scholas frequentavi historicas Rankei, Ad. Schmidtii, Koepkei, Gelzeri, Hirschii, philologicas Boeckhii, b. Lachmanni, b. Zumptii, Heysii, G. Curtii, Gepperti, Hertzii, Benaryi, Maeikeri, philosophicas Trendelenburgii, Georgii, Benekei, geographicas Ritteri, mythologicas Panofkae.

Omnibus his viris, qui de studiis meis totaque vita optime sunt meriti, praecipue Boeckhio et Rankeo, viris doctissimis atque illustrissimis, propter summam eorum erga me humanitatem et benevolentiam, publice gratias ago quam possum maximas et ad cineres usque habebo.

THESES.

---

1. Tac. ann. I, 38 scriptura „in Chaucis" retinenda est.
2. „Chauci" vocabulum a voce „hauc" (collis) ducendum est.
3. *Μαυρουσίους* Dionis et *Μαρουΐγγους* Ptolemaei eundem populum fuisse existimo.
4. Chauci ab anno XII a. Chr. n. usque ad annum XXX p. Chr. n. Romanorum partes secuti sunt.
5. Kufahlius Bojocalum principem Ampsivariorum injuria habet.
6. Florus (lib. IV. c. XII) in enarranda pugna ab Arminio contra Varum commissa a veritate aberrat.
7. Thucyd. III, 38 legendum est:
   ὀξέως δέ τι λέγοντος προεπαινέσαι καὶ προαισθέσθαι· ὄντες τε πρόθυμοι εἰς τὰ λεγόμενα . . . . .
